PIAZZONI, E.
C

PHLEBOTOMIA

EXAMINATA.

PHLEBOTOMIA EXAMINATA.

OPUS

JUSTITIÆ, ET CHARITATIS,
ab Authore
Umbræ ſolius ſcripturæ commiſſum,
at in lucem editum

A Reverendiſs. D. Doct.

FRANCISCO ANTONIO PIAZZONI
Archipræsbitero Piſcheriæ Veronenſis,
& Authoris Fratre,

Ill.mo Dom.o Dom.o Comiti

MARCO ANTONIO
Ex Comitibus de Caleppio, Pheudatario Juriſdictionali Vallis Caleppii ac Pertinentiarum &c.,
& Condomino Uradii,
Olei &c.

DICATUM.

MEDIOLANI, Typis Caroli Bolzani.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Ill.me Dñe, Amplis. Co.s

NON poterat sanguinis innocentia tutius asylum subire, quam sanguinis nobilitatem. Si depluunt sydera rores, vel florum gremio committunt ad pulchritudinem nutriendam, vel inserunt herbarum smaragdis ad subarrhanda sata fiduciæ, vel conchylium utero inspergunt, ut fideliter margaritarum

puerperia maturent: Sanguis humanæ vitæ, tanquam roſcidus humor ſyderis coruſcantis nulla tutius, & delicatiùs in clepſydra poterat aſſervari, quam in tuarum virtutum floribus, quam in viridantibus ſemper ad novam gloriam tuorum meritorum germinibus, quam in fideliſſimo, & purgatiſſimo tuæ nobiliſſimæ Domus conchylio, quod tot Avorum, & Proavorum tuorum, & ultra puriſſimum ſanguinem colligit in uniones.

Omiſſis Illuſtriſs. familiæ Caleppiæ Viris Egregiis, ſæculis vetuſtiſſimis, & famæ antiquariis, hiſtoriæque commiſſis, quàm pretioſæ nobilitatis in te, tuoſque ſanguinem depluit, & traducit Comes Truſardus? Cuius, & aliorum huc referre antiquam epigraphen probatiſſimum eſt argumentum; Etſi in umbra picturæ, & monumentorum Civilium, tamèn in lucem editum veritatis, & memoriæ nunquàm

quàm de Heroibus obſoleſcentis

Truſardus Comes, & Eques ob invi-ctam fidem, ac res pro Republica præclarè, ac fideliter geſtas, ingentiaque merita Pheudo Vallis Caleppiæ à Senatu decoratus eſt anno 1437., & ut clariùs conſtat in pheudali inveſtitura 1437. typis data.

Nicolinus Comes, & Eques Truſardi filius ob inſignem virtutem Reipublicæ Charus totius claſſis Lacus Sabini Præfectus Generalis à Senatu delectus eſt anno 1453.

Truſardus Comes, & Eques aureatus Nicolini filius ob fidei conſtantiam ergà Rempublicam à Gallis captus 1512. in Galliam ad necem perducitur, ſed libertate donatus incolumis rediit in patriam anno 1513.

Nicolinus Eques, & Comes de Caleppio in agro Bergomenſi pro Sereniſſi-

ino Domino Dux armorum 1526. 15. Iulij.

Frater Ambrosius Calepinus Trasardi filius P. E. litteris, ac ingenio clarus perutile volumen edidit, in quo latinæ linguæ vocabula explicantur.

Garibaldus Comes de Caleppio Bergomi Episcopus Carolum Tertium Imperatorem Bergomum ingredientem ob votum solvendum S. Alexandri Templo excepit tertio Kal. Augusti. Anno 883. Meritis cujus multa concessit privilegia Cathedrali Ecclesiæ, & Ciuitati.

Nec silentio involvam, quæ, quantaque fortitèr, & præclare gessit Comes Andreas filius Comitis Nicolini, cum Cyprium bellum ageretur in Turcas anno 1570. Neque debet fundi lhetes, aut substerni lothos memorabilibus, quæ Comes Ioannes Paulus in bello Gradiscæ 1616., & Comes Andreas Pompilii filius, & Comes Trusardus in Venetis

Ca-

Castris anno sequenti viriliter præstiterunt.

Novit elapsum sæculum Comitis Ioannis Pauli præclarissimi Avi tui singulares virtutes, & merita; Et adhùc Civitas Bergomensis. Patrem Patriæ recordata, cum sæpè sæpiùs ad Urbis gubernaculum vigilaret, teneræ dilectionis liquescit in fletus; Et jugiter documenta prudentiæ suæ servans suspirat, & optat tantæ sapientiæ, & probitatis documenta in præsentes, & posteros suos Cives hæreditario jure transferri. Audivi egomet ipsum loquentem ex Tripode, fundentem oracula plusquam Themidis humanæ, Divinæque sapientiæ. Vidi, & miratus sum animum inconcussum, quoties, ut accidit in humanis, fortuna sævo læta negotio ludum insolentem ludere pertinax exhibuit fortitudini suæ materiam meriti, & occasionem triumphi:

Et præcipuè cum adhùc acerbæ ætatis, etsi maturæ virtutis Comitem Trusardum Cælum abstulit tanto Patri acceptissimum filium, tam Egregiæ Matronæ Illustrissimæ Comitissæ Grandigliæ Martinenghæ Caleppiæ amantissimum Coniugem, & tibi, & Comiti Cælestino germano præclarissimum Patrem. Nil mirabilius erat, quam in Comite Ioanne Paulo tam grandi ictu percusso venerari constantiam, quæ Divino Beneplacito nixa totius naturæ tumultus pacati, sedatique animi subdebat imperio.

Tam puri, tam nobilis, tam vitalis, tam spirituosi sanguinis rivus in te, tuosque defluxit Illustriss. Comes. Quid ni ergò tibi causam sanguinis vovamus, quem à suo nativo venarum tramite nunquam deflexisse, & minus defluxisse, etiam in sensu Civili, & Politico, nedum naturali, compertum, exploratumque ha-

habemus ? Etenim in tua corporis, animique harmonia, quem à puriſſimo fonte, ceù corde Caleppiæ propaginis ſuxiſti fæliciter, intactum, illibatumque ſanguinem naturæ, & virtuti ſervas incolumem.

Hinc nè tibi diutius moleſtus ſim, & nobiliſſimæ tuæ modeſtiæ, contrà hujus operis axiomata, ſanguinem extraham, permitte me ſolo tui lucidiſſimi ſanguinis argumento concludere, qui, qualis, quantuſque ſis, etſi non lateat urbem noſtram, & agrum, & ampliores vicinas, remotaſque provincias, quanta tua ſit, & Illuſtriſſimi fratris Comitis Cæleſtini, omniumque tuorum morum integritas, animi fortitudo, juſtitia inviolabilis, prudentia domeſtica, & civilis, magnificentia heroica, & pietas religioſa; & reliquæ omnes virtutes, & Dotes, & prærogativæ, quæ tibi majus præmium,

mium, ut meritum, te, domumq; tuam purgatiſſima, & perennitèr duratura gloria coronant.

Si fortes creantur fortibus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam, (*a*) & generoſa in ortus ſemina exurgunt ſuos; Idem partim aſſerendum, partim vaticinandum de liberis tuis optimè educatis, in quorum typo fidelitèr, & obſequentèr æmulante prototypum, veluti in Pirrhi achate Muſæ ſpectantur, & Charites. Et hæc erit tua fælicitas maxima, & Illuſtriſs. D. Comitiſſæ tuæ dilectiſſimæ Sponſæ Matronæ celeberrimæ magni nominis, & magnæ rei; Quæ urbis, & orbis Matronis excelſioribus eſt menſura virtutum, elegantiæ, & nobilitatis idea, & firmum, ac tibi gratiſſimum raræ prudentiæ fæminilis exemplar.

His

(*a*) *Hor. Flac. Senec. Trag.*

His omnibus fretus confisus sum hoc opus fratris mei Reu. P. Ægidij salubre pro sanguinis, & vitæ tutela in lucem edendum tuo valido patrocinio committere, & commendare. Inde tuæ eximiæ benignitati innixus Te humiliter obsecro, ut fiduciam, & obsequium, & reverentiam meam peramanter accipias. Et dum enixas supremo Numini preces pro tua, tuorumque incolumitate, & fælicitate devoveo; & tuæ fortunæ adiiciat, ut tantundem possis, ac velis; libenti animo, & corde alacri, suo sanguine, & tui hæroici recordatione pleno, in spiritum pleniorem effundor, dum declaror, & subscribor hilaritèr &c.

Dominationis tuæ Illustrissimæ

Humill. Devotiss., & Obsequentiss. ser.

D. D. Franciscus Antonius Piazzoni
Archip. &c.

BENEVOLE LECTOR,

R*Ev. P. Lector Theologus, & Prædicator, & modo actualis Definitor in sua Provincia Brixiensi Egidius de Bergomo Minor Reformatus amantissimus meus Frater adeò fuit iamdiù Phlebotomiæ tenax, ut mihi ipsi aliquandò suaserit, etsi non persuaserit ipsam; Monitus de veritate expiscanda à Democrati puteo, elegit pro erudito acriorum studiorum levamine evolvere libros Hippocratis, & Galeni, & aliorum tam Recentiorum, quàm Veterum; Et discerpere quid, quomodò, quandò de Phlebotomia sentirent, Collegit, apprehendit, & judicavit quantum præsenti expressit in opere. Plura prudenti ratiocinio contexuit, & detexit. Plurima experimento didicit, cum videret, quod* facta est confusio mortis magnæ in Civitate. 1. Reg. 5. 6. *Examinata*

nata sæpius hominum Hecatombe Libitinæ oblata, inhorruit huiusmodi victimas non devotas, non acceptas, nisi sanguine effuso. Persuasum habuit non tam cadaveribus sæpè parentatum fuisse, nisi jacuissent exanguia, lanceolis describentibus in vitæ palimpsestis indelebile mortis oraculum. Tactus proptereà dolore cordis intrinsecus; Et veritus quòd documenta de sanguinis missione innocentioribus iamdiù bona fide (vt accidit etiam in aliquibus medicis, & à nonnullis medicis) & etiam exemplari Cænobii consuetudine impressa, verterentur in eorum perniciem, occasione morborum sibi garritantium, impatientissima spe refrigerii miserabiliter inventi cum ægrotis in sanguinis missione, naufragium, voluit in scriptis pænitere; & Augustinum in Confessionibus imitatus, quantum tunc inscienter suggesserat ore tenùs, & docuerat, nunc scienter saltem manuscripto emendare, & charitate corrigere.

Non indè intendit ullam notam inurere sapientissimo ordini Medicorum.

Etsi

Etsi enim plurimi Phlebotomare consuescant plus, & minus, multi tamen omnimodè desueti ex ipsis hærent, minantur, æstuant, queruntur, & gemunt. Inter ipsos lis est. In ipso tantorum Virorum cætu opinari diversum, altercari crebrum, & diversis principiis medelam parare usitatum. Etsi in medium integerrimæ artis nunquam aureum projecerit discordia pomum, nihilominus.

Mille hominum species, & rerum discolor vsus,
Velle suum cuique est, nec voto vincitur vno.

Quid ni ergo potuit, & Theologus de iure medico opinari; præcipuè cum in eligenda opinione tutiori, ex ratione, & summorum Pontificum Decretis omnis medicus, & theologum agere debeat, ut agat hominem, & cristianum? At si deficeret apud aliquos medicos (quod non est credendum) non tamen debet à quocunque ignorari, quam graui periculo sit obnoxia medendi alea, decretoria medicamentorum synopsis, compendiosa syngraphe dosium, & quod magis horren-

*rendum est, jus latum, & definitiva se-
tentia de sanguinis effusione innocen-
Et herclè si attentè quisque releget H-
ronymi Cardani querimoniam* de m-
thodo medendi cap. 100. Complu-
ab indoctis medicis longe occidun-
alioquin victuri, quam morituri ab e-
ditis salventur: Timeo, ne magno m-
potius quam bono, ut pleraque a-
mala, mortalibus medicina accesse-
*Certè abstinebit à Phlebotomia, q-
magis vergit in periculum mortis, -
saltem morbi gravioris, quam in sp-
sanitatis. Acumen lanceolæ est a-
dis dens, qui mordet in silentio. P-
nius non de prudentibus medicis p-
centibus sanguini, sed de sanguin-
lestrygibus suorum temporum vide-
esse loquutus* lib. 29. cap. 1. Discunt -
riculis nostris, & experimenta per m-
tes agunt, medicoque tantùm ho-
nem occidisse summa impunitas -
Quin imò transit convitium, & inte-
perantia culpatur. *Id genus erat, qu-
mordebat Pausanias his verbis.* Pl-
in Apopht. lacon. Si expertus cum-
sem

sem, non viverem. *Et talis, cui gratulanti de senectute robusta Pausanias ipse respondit reddens de sua longæva incolumitate rationem*: quià te non adhibui Medicum.

Ideò opus est antiqua reminisci, atque Hadriani Imperatoris perlegere Cenotaphium. A sepulcralibus urnis fatalem intellige veritatem. Audies à confuso frequentissimæ mortis contextu, nedum Numinis obiurgantis repetita censura. Gen. 4. 10. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Hisce oculis egomet vidi occasione visitandi infirmos ex debito pastorali, quos infaustos eventus sortiti sint plures, qui fuerunt obnoxii phlebotomiæ; læsio actionum ex symptomatibus, deliquia ex deperditione succi nutritii, debilitas magna, & syncopes ex evaporatione spirituum, diuturnitas morbi ex languore naturæ arefactæ minora detrimenta fuerunt, si vivere contigit, vel ætate juniore, vel complexione fortiori adminiculantibus. Sed Heù quam plures visibiliter, & palpabiliter ab isto*

vulneraria lenocinio sublati fueru: Quot à Medicorum ignavo infirmor: genio blandientium, ut sibi sang .nem mittant, conniventia satisfacti pulerunt ad scopulum mortis, non sec ac promontorium Casareum eò re gientes placida leviter undosæ fidu proditione fallentem?

Neque hic Medicos culpare opor sed aliquem adulatorem, qui de co placentia ægroti magnum sibi face re negotium putat. O vos infirm hujusmodi pepone insulsiores! In get mica salis vestri cucurbita capi Illa levitas sanguine misso, quam vamen creditis morbi, est virium, ritiuumque perditio, quæ natural cognoscentia, se non amplius posse c morbo certare, arma resistentiæ de nunt, & videntur quiescere, cum in ti, & fatali torpore labuntur. sensitiva cum reliquis obtunditur, cum non sentiat tam vivacitèr ægri dinis acrimoniam, decipitur cogitan vitæ harmoniam exhilarari, cum rium evanescentium crasis iam dis vatur in mortem. Se

Sed ex lucubrationibus hisce fraternis ad Cleantis lucernam evigilatis magis rei veritatem amice Lector dignoscere poteris. Meum non est addere pondus operi, quod quale, quantumcunque sit ipse scrutaberis: Et si, Deo favente, vera, & rationabilia percipies, & credes, tuæ etiam saluti consules adamussim.

Dicere liceat, quod Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris nullo alio urgente motivo de simili materia pertractanda, & typis edenda. Frater certissimè charitate motus non pertimuit hos animi sui motus ad quot Deus scit, animare salutem. Hosce, ipso nesciente, mihi ex eodem motivo bene visum est alis typographiæ committere, ut volitent, quò Deo placuerit; & quocunque volitare placebit, si ubicunque invenerint spatia charitatis, aut saltem spiraculum veritatis. Vale.

PROÆMIVM.

NON *ſum Medicus*. *Iſa.* 3.7. Veneror tamen Medicos iuxtá ſapientis edictum. *honora Medicum*. *Eccl.* 38. 1. Medicos, inquam, hoc dignos nomine, Doctores ſcilicet doctos, qui rationales vocantur; vtpotè, quod nihil temerè, nihil caſualitér, ſed omnia cum ratione, & experientia rationi innixa operantur. Atque utinam tales fuiſſent omni tempore! non defleſſent transactæ ætates tot hominum vitas ab oculis ſuis immaturè, & impunè ereptas. Hoc humanitatis infortunium tunc temporis oriebatur à quibuſdam Medicis empiricis, ſeù methodicis (nam tempeſtate noſtra rationales ſunt, & verè excellentiſſimi) qui poſthabita ratione, & medicinæ Principum authoritate, unicæ methodo inhærentes, omnibus mederi morbis contendebant. Nomina didicerant ſyruporum quorumdam, & pharmacorum, nec non & phlebotomiam; Et hæc tota erat eorum ars medica, tota eorum curandi ratio, purgare, ſyrupare, venam ſecare, iterumque

purgare: In omni tempore, in omni ætate, in omni morbo, in hoc circuitu methodici ambulabant; ut de talibus jure dixerit Musitanus *de vulneribus cap. 56. Eorum medicina perpetuò circà sanguinis, & merdæ eductionem versatur.* Methodus à Galeno ipso expressè damnata *Class. 6. lib. 3. de method. medend. cap. 7. Existimare communem quamdam esse omnium hominum curationem, sicut stupidissimi methodici putant, extremæ est dementiæ.* Bone Deus! Quoties natura ipsa absque medicamine ullo, solis suis viribus, sola boni victus ratione morbos debellaret? Quot, heu! quot infirmi decumbunt, & obeunt, qui sine Medico convalescerent? Testis fuit in retrò seculis quotidiana experientia in infirmis pauperibus, qui non poterant Medicos ad stipendia vocare, & divitibus Physicorum turba undequaque stipatis. Hujusce rei rationes ipse non referam: Videat qui voluerit apud Galenum *loc. mox cit. lib. 11. cap. 15.* Audiant (solum exclamare vellem, si viverent tempestate nostra Methodici illi) audiant Hippocratem *lib. de Articul. n. 35. Bonum enim aliquando medicamentum est nullum adhibere medicamentum. & lib. 6. de morb. popul. sect. 5. Nam edocta natura, & nullo Magistro usa ea,*

qui-

quibus opus est, facit. Audiant Galenum *Clas. 3. de dieb. decretor. lib. 2 cap. 2. Persuasum me habere, naturam prorsùs sufficere, & summa quadam providentia corpori nostro prospicere. Et Clas. spur. com. 3. lib Hipp. de aliment. Ipsam ex se sine doctore, quæ opus sunt efficere. Et tom. 3. de alim. Ab ipsa morbos curari, aut dum copiosum humorem effundit, aut per urinam, aut per alvum, aut per vomitum humores noxios excernit. Et comment. 2. in aphor. Hipp. aphor. 16. Hippocrates magnopere studet servare fortem eam, quæ regit animalia potentiam.* Et tamen sanguipetæ illi nihilo magis studebant, quam naturam debilitare, enervare, prosternere, non aliam canentes infirmis palinodiam, quam purgare, syrupare, phlebotomare: ad instar hirudinum, de quibus Horatius *de arte poæt. Nec missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.* inhiabant sanguini, & in quolibet morbiculo ad phlebotomiam, veluti ad anchoram sacram recurrebant.

Cessit tandem methodicorum turba Medicis rationalibus, qui hac nostra tempestate florent. Quod si non cessisset, charitas Christi urgeret me tam ergà Medicos, quam ergà infirmos: Ergà Medicos, inquam, ut saluti

luti suæ meliùs providerent; quia sine gravi, & matura perpensione mittentes sanguinem, ut plurimùm vel aggravarent, vel prorogarent morbum, & non raro meterent vitam; consequenter incautè, & usu ducti venam infirmis feriendo, etiam animam propriam læthalis culpæ vulnere sauciarent. Ergà infirmos paritèr charitas urgeret me ad veritatem ostendendam, & opusculum hoc pro modulo meo elaborandum me impelleret, dum plures cernerem interire ægros gladiolo in lecto, quam perire milites gladio in campo. Salva ergo semper, quæ medicinæ Professoribus debetur, veneratione, solo fine proximo benefaciendi ductus, omnes lineas opusculi hujus ad unicum punctum dirigo, nec jaculum extrà scopum expediam: soli phlebotomiæ insisto, innocentis sanguinis causam veluti advocaturus. Et undè tam magna, & nunquam cessans sanguinis persecutio, ut ad omne corporis incommodum è vasorum domicilio expellatur? Quia omnium delicta morborum, quibus Mycrocosmus inficitur, imputantur sanguini, omnium malorum, dolorumque hominem physicè infestantium sanguis author, sanguis reus, sanguis in causa est; Ipse tamquam infensissimus

mus hoſtis corpus excruciat, temperiem ſolvit, ſanitatem depopulatur, inſidiatur vitæ. Ità opinabantur, ità prædicabant uſum phlebotomandi ſequentes. Ego ad tribunal rationis ſto, & celebriorum Profeſſorum: Illa punctum hoc ventilabit: Iſti ſententiam ferent. Et ne quis grammaticus me capiat in hoc verbo *phlebotomia* ſcio ex lexicon Medico eſſe nomen græcum, quod in noſtro latino idiomate idem ſonat, ac *lanceola*, & ſumitur pro quavis diviſione venarum; undè etiam ad extractionem ſanguinis per cucurbitulas extenditur. Ego tamèn hìc ſumo pro miſſione ſanguinis, quæ fit è ramis conſpicuis venarum brachii, manus, pedis, & aliis alibi incidi ſolitis; Et ut vulgari termino utar *per il ſalaſſo*, dum ſanguinis deſenſionem aſſumo, & hæc de phlebotomia per ſequentia capita oſtendo.

INDEX OMNIUM *CAPITUM SEQUENTIS OPERIS.*

CAPUT PRIMUM.

Phlebotomia pro minuenda, in remedium, ſanguinis quantitate non eſt admittenda. pag. 1.

CAPUT SECUNDUM.

Phlebotomia pro emendanda ſanguinis qualitate inanis eſt, & ſuperflua. pag. 37.

CAPUT TERTIUM.

Phlebotomia pro ſanguinis inſpectione fallax, & vana. pap. 50.

CA-

CAPUT QUARTUM.

Phlebotomia pro eventilando ſanguine inepta. pag. 71.

CAPUT QUINTUM.

Phlebotomia pro ſanguinis revulſione, aut derivatione fruſtranea. pag. 85.

CAPUT SEXTUM.

Phlebotomia in inflammationibus non ſolum inutilis, ſed perniciosa. pag. 90.

CAPUT SEPTIMUM.

Phlebotomia in febribus nedùm inutilis, ſed etiam damnoſa. pag. 119.

CAPUT OCTAVUM.

Phlebotomia ſemper nociva. pag. 156.

CAPUT NONUM.

Phlebotomia ſæpè fatalis. pag. 170.

CA-

CAPUT DECIMUM.

Phlebotomia pluribus rationibus ex Hippocratis doctrina exploditur. pag. 178.

CAPUT UNDECIMUM.

Phlebotomia à Professoribus rejecta, & à Regionibus eliminata. pag. 212.

CAPUT DUODECIMUM.

Phlebotomia, quantum fieri potest, evitanda. Parænesis. pag. 229.

CAPUT PRIMVM.

Phlebotomia pro minuenda, in remedium, ſanguinis quantitate non eſt admittenda.



Ro hoc oſtendendo, capitulum in tria puncta diſtinguo.

Primò; Probo non dari in animali ſuperfluam ſanguinis quantitatem.

Secundò; Hac etiam admiſsa nullum timendum eſſe periculum.

Tertiò; Etiam ſi timeantur pericula, nullatenus ad phlebotomiam recurrendum.

PUNCTUM PRIMUM.

HÆc aſſertio. *Peccare ſanguinem in humano corpore pre nimia quantitate*. Naturæ inſultat, & naturæ Authorem redarguit, ut proportionis ignarum; quod ſcilicet vaſa minora cuderit, quam eſſe debeant, & totius ſanguinis incapacia; ac proinde ars lanceo-

la ſupplere debeat proportionis defe-
ctum, extrahendo ſanguinem, nimia copia vaſa, vel individuum lædentem. Si opus eſſet quandoque minuere ſanguinem, Deus ipſe organa conſtituiſſet in corpore, aut foramina in venis, per quæ ſuperfluus, & aggravans regulariter emitteretur; ſicuti ductum diſpoſuit in fæminis ad exonerandum menſtruis temporibus ſanguinem, individuo inutilem, ſed neceſſarium ſpeciei (Undè Hippocrates in menſtrui ſuppreſſione arguit conceptum *in libr. aphor. ſect.* 5. *aphor.* 62. *Si mulieri ceſſent purgationes, neque febris, neque rigor ſuperveniat, & faſtidia incidant, judica ipſam in utero habere.*) Cudit Deus vaſa pro expulſione excrementorum, his namque exonerari natura indigebat, tamquam partibus fæculentis, inutilibus, perniciosis. Non cudit vaſa pro emiſſione ſanguinis, quia hunc humorem natura ipſa, ut vitæ opobalſamum, nimio zelo cuſtodit. Ergo ſub prætextu diminutionis ad ſalutem reddendam, non ſunt ferro ſcindenda vaſa ſanguinis, ad ejus con-

conservationem, non profusionem ordinata: hoc est enim culpare opera Dei, ut imperfecta, opera naturæ, ut supervacanea.

Bruta plura faciunt natura duce, quæ faciunt homines duce ratione, & remedia quærunt in morbis: canis gramen, ceruus dragunculum, ursus aron, mustella rutam, testugo origanum, hirundo chelidoniam &c. Nullum tamen brutum sibi sanguinem detrahit. Leo febriens dentibus, & unguibus armatus non ferit sibi venas, ut imminuto sanguine à febre sublevetur, quia hoc ipsum natura non docuit. (Nam quod de Ipopotamo refert Plinius *lib.* 8. *cap.* 16. in communi sensu fabulosum est, & si verum esset, nihil est ad propositum.) Corpus humanum procùl dubio perfectissimum est; opus Divinis manibus plasmatum, cujus physicam texturam contemplari quidem possumus, sed nunquam plenè intelligere. Non est in mundo anatomicus, qui capere possit hujus parvi mundi magnum miraculum ab Infinita Sapientia editum: Et tamen

Deus in tam mirabili opificio non construxit organa ex directa intentione, & ex professo (dempto fæmineo ductu sanguinis emissiua; quia nimirum inutilia fuissent, sanguis enim custodiendus erat, non effundendus; Et quare? quia natura non intendit, nec elaborat, nisi sanguinem corpori nutriendo necessarium cujus signum evidens est, quod sana, & sufficienter pasta, cessat cibi appetitus. Ergo non generat hanc nimiam quantitatem, vel sui, vel vasorum læsivam, ac proinde ferro evacuandam. Adstipulatur prædictis D. Augustinus *lib. 3. de lib. arbitr. cap. 5. Quidquid vera ratione tibi melius occurrit, id scias Deum fecisse.*

Ulteriùs ex ipsa vasorum constitutione hoc idem ostendo. In communi opinione totum aggregatum massæ sanguineæ in humano corpore calculatur ordinariè pondo circiter 20. librarum. Ergo secundum opinantes 4. libræ istis superadditæ de lege naturali erunt suspectæ, & valdè metuendæ. Ego autem cum Riccardo Louer *tract. de corde cap.*

3.*apud bibl.anat. Tom.2.part.2.pag.*105. Thoma Bartolino *lib.2.de thorace cap.*6. Francifco Zippei *fundam. medic. art.*5. admitto 25. quæ eft major admiffibilis quantitas: Infuper addo 5. & erunt 30. licet non fint: Addo etiam per imaginativam alias quinque, & fint 35. In hac hypothefi quandocunque demonftro, ut palpabile manibus, quod 35. libræ fanguinis facilè continentur intrà vafa, non erit durum, & creditu difficile, quod 20. aut 25. nullum incommodum faluti noftræ fint allaturæ. Author hujus noftræ machinæ hydraulo pneumaticæ difpofuit in ea vafa fanguinea non ænea, non ferrea, non rigida, & obftinata, fed apta dilatari, prompta extendi, & motui contenti fluidi illicò conniventia: per confequens capacia fanguinis notabilitèr ultrà menfuram contenti.

Hac pofita veritate, videamus per anatomicas obfervationes, quantum vafa hæc fint dilatabilia. Thomas Vvillis inter anatomicos occulatior *cerebr. anat. cap.*7. vidit arteriam vertebralem dextri lateris oppofita triplò plus am-

pliatam, ut officium suppleret arteriæ carotidis ejusdem lateris, quæ facta ossea sanguini transitum omninò denegabat. Et hoc idem accidit Blancardo *anat. pract. rat. obs.* 19. Vepherus *de apoplex. hist.* 17. testatur vidisse vasa tenuis meningis amplitudinis ter solitò majoris. Et eadem vasa similis magnitudinis observarunt Jacobus Bontius *in medic. Indor. apud bibl. med. lib.* 3. & Ballonius *lib.* 3. *cons.* 71. Glisonius *de racchit. cap.* 2. in racchitide extinctis vidit ut plurimum carotides arterias, & venas jugulares extraordinariæ amplitudinis. Hæ observationes validè probant, vasa capitalia regere posse etiam duplicatam sanguinis quantitatem.

Descendamus in thoracem ad videndum primò cordis capacitatem. Si Arvæo *de motu cord. cap.* 9. Lover *de corde cap.* 3. *apud bibl. anat.* Alphonso Borello *de mot. anim. cap.* 5. fides; cor ordinariè capax est 2. & etiam 3. unciarum sanguinis: sed quantùm ultrà capacitatem hanc est dilatabile? Malpighius inter

ter anatomicos accuratissimus *oper. postum. pag.* 44. vidit sinistrum cordis sinum sic extraordinariè dilatatum, ut in eo aliud cor commodè collocari posset. Similis magnitudinis viderunt etiam Blasius *part.* 5. *obs. med.* 9. Rumlerus *obser. med.* 51. Andreas Laurentius *in controv. anat. pag.* 803. Joannes Arderius *apud bibl. med. tom.* 2. *lib.* 8. Joannes Nicol Peclinus *observ.* 57. Majou *de mot. musc. cap.* 7. Andreas Cesalpinus *art. med. lib.* 6. *cap.* 20. Greiselius *apud bibl. med. tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 727. Prosper Martianus *com. aphor.* 12. *sect.* 5. Marchetus *obser.* 49. Kerchingius *spicileg. anatom. obs.* 16. Simon Pauli *apud bibl. med. tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 686. Necnon Author bibliothecæ medicæ, & anatomicæ Manget. *bibl. med. tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 732. *& bibl. anat. tom.* 2. *pag.* 125. Cor ergo in duplum, in triplum dilatatur, tot oculis testibus: Et quandonam visa est ab aliquo, vel duplicata sanguinis copia? Me explico. Tres uncias recipit cor, quando corpus continet 25. libras; Ergo, ut illud sex uncias recipiat, opus

ſunt in iſto 50. libræ: Cor, ut probatu[m] eſt, capax eſt: In corpore tam mon-ſtruoſa, imò ridicula ſanguinis quant[i]tas unquam ab aliquo nedum viſa, ſe[d] nec imaginata fuit. Ergo imaginariu[m] eſt, & fictitium, quandoque impleri co[r] ſanguine, ut ajunt, *a crepacorpo*; vel ut incapax, ſuperflua copia obrui & in-dè ſyncopen ſequi, ac ſuffocationem hæc enim aliundè ſequitur, ut infrà di-cetur.

Clarius. Extrahendo à tota maſſa 10. uncias, vel libram ſanguinis (quod perpenſa proportione, aliud non eſt quam de decem circitèr guttulis cor al-leviare) toti morbo mederi prætendunt. Ergo 10. unciæ, vel libra ſanguinis erat ſuperabundans neceſſitati corporis; & 10. guttulæ ejuſdem erant pondus illud importabile, & cordis validè oppreſ-ſivum. Hìc quadrat illud Horatii *de art. poetica ſpectatum admiſſi riſum teneatis amici*. Etiam vaſa à corde pro-deuntia adeò dilatantur, quod latitudo aortæ obſervata eſt in triplum aucta ab Andrea Laurentio *in contr. anat. pag.* 803.

803. Michaele Doringio *ad ſennert. cent.* 1. *ep.* 25. Bontio *med. indor. obſ.* 8. Ballonio *paradigm.* 73. Martiano *com. in aphor.* 11. *ſect.* 5. Ildano *cent.* 1. *obſ.* 89. Blancardo *anat. pract. rat. obſ.* 16. & Malpighio *oper. poſtum. pag.* 50. *& de glandulis pag.* 148.

Deſcendamus ad imum ventrem. Audiemus à Guarimonio *conſult.* 584. obſervaſse in hypocondriacis meſeraicas venas ultrà naturalem tonum, ità in latum extenſas, ut inteſtina potiùs viderentur, quàm venæ; Et in gravidis uterina vaſa augentur decuplò plùs, quàm ante conceptum. Teſtes habeo Needam *de format. fæt. cap.* 1. *apud bibl. anat. pag.* 542. Graaf. *de mul. orig. cap.* 8. *apud bibl. anat. pag.* 444. Cole *de ſecret. animal. cap.* 7. Franciſc. Boile *apud bibl. med. tom.* 3. *lib.* 2. *pag.* 383. Blancardum *anat.* 22. *form. cap. de mul. orig.* Scalam *phlebot. damnat. pag.* 235. Prætereo pro hujus veritatis confirmatione obſervationes Panaroli *obſer.* 13. Rhodii *cent.* 3. *obſ.* 28. Veſalii *de hum. corp. lib.* 5. *cap.* 15. Ildani *cent.* 1. *obſ.* 47. Barbetæ *anat. pract.*

part.

part.4.cap.2. Bartholini *lib.1. de infim. ventre cap.28.* Joannis Binningherii *obs. 90. cent.2.*, & Henrici Monichen. *obser. 20.* Quæ omnes comprobant tubulos ſanguineos adeò dilatari, ut continentia vaſa plus ſpatii acquirant, & capaciora fiant quantitate ſanguinis generabili etiam in ſummo gradu, ſi dabilis eſſet.

Quod autem dicta dilatatio majorũ vaſorum intelligenda ſit proportionaliter etiã de minoribus, patet & ex eorum textura uniformi; & ex eadem cauſa extendente, ſcilicet motu dilatante, & expanſivo ſanguinis; & ex tranſitu ejuſdem, vel peracto in arteriarum, vel in venarum ramuſculis peragendo. Et ad tollendas obiectiones adverto, prædictas vaſorum dilatationes eſſe naturales, & à me allegatas obſervationes non eſſe de vaſis morboſè dilatatis, in quibus v. g. diſrupta ſit, vel alitèr vitiata interna tunica; ſed de vaſis omninò integris, & ſanis, quæ diſtenta ſunt vel ob ibi retardatum ſanguinis motum, vel ob eundem alibi prorsùs interceptum.

Dicunt

Dicunt primò. Si vasa, quæ sunt partes organicæ, & solidiores, sunt extensibilia; à fortiori sanguis ipse erit extensibilis, cum sit corpus fluidum, & rarefactionis, ac dilatationis longè capacius. Ergo in hac dispositione excedere poterit extensionem canalium, in quibus decurrit, & per consequens etiam disrumpere, vel alitèr individuum lædere, nisi phlebotomia minuatur.

Respondeo ad hoc effugium, & somnium. Sanguis, uti concipiunt, sic rarefactus non esset nutritioni idoneus, sicut nec aer nimis rarefactus respirationi: Nec cum causa tantæ rarefactionis (quæ esset v. g. intensissimus calor, vel hujusmodi) possibile esset individuum vivere: Et etiam utroque admisso nihil concluditur pro phlebotomia; Si quidem libra sanguinis extracta nec rarefactionem, nec fervorem tolleret; sicut nec portio aquæ ab olla fervente ablata ebullitionem sedaret, quia non aufertur causa, scilicet ignis. Sicut ergo tota aqua, ne serveat, esset extrahenda, ità etiam totus sanguis. Di-

Dicunt ſecundò. Licet vaſa ſint dila-tabilia, quandoque tamen ſequitur ſu-focatio, & ſyncopa cauſa cordis ſumm ſanguine repleti propter nimiam ejus i corpore abundantiam. Ergo tunc a venæ ſectionem recurrendum.

Reſp. quod ſuffocatio, vel alia acci-dentia non proveniunt à nimia copia ſanguinis, quæ ſit in corpore; ſed à re-moratione, & regurgitatione ejuſdem ſanguinis, qui præpeditur ultrà permea-re ab aliquo corpore extraneo, condu-ctum arteriarum obturante, ut ſunt pul-pus, calculus, grumus, materia oſſea, vel carnoſa. Inſuper impeditur quan-doque curſus ſanguinis à conuulſiva coarctatione fibrarum motricum aor-tæ, ab inflationibus internis, ab hydro-pe pectoris, vel pericardii &c. quæ affe-ctiones quomodolibet comprimunt, vel claudunt canalem: Undè ſanguis in cor regurgitat, ibi ſtagnat, & congeritur, ut fidem faciunt anatomitæ obſervantiæ Veſalii *anat. lib.* 2. *cap.* 5. *apud bibl. med. pag.* 727. Vepheri *de apoplex.* Zacuti *prax. hiſt. lib.* 2. *c.* 8. Olai Rubdecchii *apud bibl.*

bibl. anat. tom. 1. *part.* 4. *pag.* 707. Bartholini *obs.* 101. Riverii *cent.* 1. *obs.* 82. Simeonis Pauli *de febr. malign. pag.* 99. Malpighii *de polip. cord. pag.* 129. Riolani *enchirid. lib.* 3. *cap.* 4. & aliorum plurium. Quando autem dico, quod sanguis regurgitat in cor, non sic intelligo, quod sanguis semel pulsus in aortam à systole cordis possit per eandem in cor redire (non enim me latet obstare valuulam sigmoideam, quæ intrò foris respiciens exitum quidem sanguini præbet, sed reditum in corde prohibet,) sed sic intelligo, quod præpedito ab aliqua ex supradictis causis sanguinis cursu illa pars aortæ versus cor ità repletur, quod premente sanguine contrà cordis basim dictam valuulam occluditur aortæ orificium, & prohibetur sanguini exitus: Undè sanguis in disastole per arteriam venosam denuò assumptus in sinistro cordis sinu necessariò sistit, & indè suffocatio &c.

Dicunt tertiò. Cor nimia sanguinis copia ità repletur, quod ejus musculares fibræ nimium distentæ non possunt

am-

ampliùs contrahi; Undè ad evitandam mortem aperienda vena.

Resp. Falsum est fibras cordis per sanguinis copiam ità distendi, & attenuari, quin ampliùs contrahi possint: Et probo. Cor in palpitationibus, quantum fieri potest, dilatatum est, & per consequens ejus fibræ ultrà modum extensæ (hujus veritatis tot habeo testes oculares, quot sunt supracitati Authores;) Et cum hoc pulsus non est tenuis, vel languidus, sed fortis, & validus. Ergo fibræ cordis per dilatationem vigorē contractionis non amittunt. Ergo &c.

Dicunt quartò; corpulentos, & obesos magnam sanguinis quantitatem habere, atque ideò phlebotomandos.

Respondent pro me Galenus *in com. aph.* 54. *lib.* 2. *& de temper. lib.* 2. *cap.* 4. Avicenna *lib.* 4. *fen.* 7. *tr.* 4. *c.* 5. Hippocrates *lib.* 1. *de morb. popul. sect.* 1. quod imò isti minùs sanguinis habent, quam macri. Et hujus opinionis sunt etiam Cornelius Celsus *lib.* 2. *cap.* 10. Dilectus Lusitanus *de venæ sect. cap.* 5. Ferdinandus Mena *com. in lib. de sanguin. miss.*
cap.

*cap.*6. Primerosius *de vulg. error. lib.*2. *cap.*6. Entius *de circul. sang. digress.*5. Diamerbroech *lib.* 2. *de thor. cap.* 12. Lover. *de corde* Carletonus *œcon. anim. pag.*86. Imò ipse Galenus *ad Glauconem lib.* 1. *cap.* 14. Et priùs ipso Celius Aurelianus *lib.*5. *pag.*553. prohibet talibus venæ sectionem his verbis. *Eodem modo, & quicumque suprà modum crassi sunt, aut macilenti, nam & his venam incidere cavendum est.* Quare Hippocrates *de salubr. diæta num.* 4. & Avicenna *lib.* 1. *fen.*3. *doctr.*5. *cap.*5. ad emacianda corpora, nonnisi exercitia, & labores ante pastum præscribunt.

Dicunt quintò. Suppositis in homine quatuor istis conditionibus, scilicet temperamento calido, ætate juvenili, victu lauto, & liberali, ac vita otiosa, necessario generatur plenitudo sanguinis. Ergo &c.

Resp. Quod ætas juvenilis disponit ad augmentum: Et ex Hippocrate *lib. aphor. sect.* 1. *aph.* 24. *Qui crescunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absu-*

ſumitur. Ergo hæc ætas potiùs eſt diſſipatrix, quam auctrix ſanguinis. Similitèr dicendum eſt de victu lauto, & liberali, & vita otioſa: In his enim, inquit Sinapius *paradox. med. part.* 1. *pag.* 72. ſanguis non abundat; ſed ex quiete, & otio inſpiſsatur, torpet, parum circulat, minùs defæcatur, & totus cruditatibus, & excrementis repletur: Undè Galenus nec ſanguinis guttulam talibus extrahere audet, ità diſcurrens *lib. de curand. rat. per ſang. miſs. cap.* 7. *Intemperantes enim, vinoſoſque, ac ventri, guleque deditos neque purgatione, neque ſanguinis miſſione magnoperè adiuveris: nam per vitæ intemperantiam crudorum humorum copiam ocyſſime colligunt; Verùm ne manum quidem admovere tentandum eſt.* Sed quæſo, ubinam invenietur corpus humanum, in quo adſint omnes illæ 4. conditiones, quæ tamquam elementa ad ſanguinis plenitudinem neceſſariò requiruntur? Novem ſunt temperamenta apud Galenum *de temperam.* quatuor apud Averoem *de medicina colliget lib.* 2. *cap.* 1. nimirum;

rum: calidum, & humidum: calidum, & siccum frigidum, & humidum: frigidum & siccum. Ex istis (secundum ipsos) primum solum copiæ sanguinis subjectum est. Ætates ex Hippocrate *de ætat. num.* 1. sunt septem: Infantia, pueritia, adolescentia, Juventus, virilitas, senectus, decrepitas. Ex istis, sex ab opinantibus excluduntur à pondere sanguinis. Torpeat ergo quis in otio: si deficiat victus lautitia, nunquam peccabit in quantitate sanguinis. Otiosus ille lautè vescatur: nonnisi in juvenili ætate, quæ ex Hippocrate *loc. mox cit.* extenditur ab anno 21. usque ad 28. poterit excedere in sanguine. Epuletur otiosus ille quotidiè splendidè, & in ipso juventutis flore: nisi temperamento calido, & humido præditus sit, non patietur molestiam superflui sanguinis. Adsit etiam optatum temperamentum: Dico cum Luca Tozzi *in com. aphor. Hipp. pag.* 32. quod iste omnibus potitus conditionibus carne potiùs, & adipe, quam sanguine abundabit.

Dicunt ſextò. Negans ſanguinis exuberantiam debet admittere in quolibet homine eandẽ quantitatẽ,& ęquè turgidas venas; Ità abundare ſanguine jejunantẽ ſicuti helluonem, exercitatũ ſicut otioſum; Imò eandem perſonam tam in lauto, quam in tenui victu eandem omninò ſanguinis menſuram retinere, quod eſt manifeſtè falſum. Ergo &c.

Reſp. Non valet hæc conſequentia: ſanguis non ſuperabundat: ergo in omnibus debet eſſe æqualis, quaſi quod menſurari debeat arundine aurea Apocalipſis, vel ponderari ſiclo ſanctuarii; Nam hæc ſanguinis menſura non conſiſtit abſolutè in indiviſibili, ſed habet latitudinem individuis proportionalem: Ità quod in diverſis corporibus plus. vel minus ſanguinis reperitur iuxtà diverſitatem temperamenti, ætatis, victus, exercitii &c. Et quis ambigat plus ſanguinis eſſe in corpore adulti, quam pueri? Nec tamen ex hoc ſequitur, quod reſpectiuè ad individua exuberet; non enim augetur aut in infinitum, aut in exceſſum, ſed proportionalitèr iuxtà cuiuslibet

juslibet exigentiam, docente Philoſopho *lib. de inceſs. anim. cap. 2. Naturam nihil facere fruſtrà, ſed ſemper ex iis, quę cuiquam animalium generis eſſentiæ contingunt, id quod optimum eſt*. Et inibi concludente *quamobrem ſi hoc melius eſt, ità natura ſe habet*. Et etiam in eodem individuo pro tempore crapulæ vacanti ſanguis reſpectivè, ſed limitatè, non exceſſiuè, augetur; ità quod ſit lanceola extrahendus: ſed, ut verius dicam, cruditatibus potiùs, & excrementis repletur. Quod ſi diætam obſervet, vel inedia maceretur, plus, minus proportionalitèr minuitur ſanguis; Et per conſequens etiam ſpiritus, & vigor, & vires minuuntur. Quid indè?

Dicunt ſeptimò. Verè dari plethoram; niſi enim daretur hæc ſanguinis exuberantia, & plenitudo, fruſtrà ordinaſſet natura ejus inanitionem per menſtrua; hæmorroides, nares. Ergo &c.

Reſp. Plethora eſt ſuperabundantia ſanguinis, & ſpirituum in ſanguine, ità ut ſufficiens ſit ad ſuffocandum individuum. Hippocrates eos, in quibus erat

plethora ſpirituum, vocavit Athletas, luctatores, viros fortiſſimos: Et ſanguinis gravidos, corpulentos, vel paraſitos appellavit; Et utriſque ordinavit Hippocrates ſobrietatem, aut purgationem. Apud veriſecas omnes ſunt plethorici, qui habent in venis pro aqua ſanguinem: ſoli tabidi, hectici, umbræ deambulantes, cadavera ſpirantia plethorici non ſunt. Sed ut directè reſpondeam. Admiſſa decantata plethora, non propter hoc ſanguis mittendus eſt: Si enim eſt plethora in ſanis, unius diei inedia evaneſcit: helluo ſi per 24. horas à cibo, & potu abſtineat, ſequenti die languidus erit: quod ſi adhuc cibum non ſumit, tertia die animi deliquium patietur; ſignum evidens, ex tali diæta multum ſanguinis defeciſſe. Quod ſi ſuppoſitæ plethoræ evaneſcit in ſano duobus diebus & ſignum, & nomen; quantò magis attenuabitur in febricitanti à diæta, ne dicam inedia plurium dierum, à pharmacis, à ſudoribus, à febre ipſa? Intueatur quiſque ex infirmitate convaleſcentem, debilem, extenuatum

nuatum

nuatum, excarnem, ut mortis imago ex sola cute, & ossibus constans videatur, & somniet ibi plethoram, si potest. Reflecto ulterius: febricitet suppositus plethoricus; tempore febris video illum valdè exagitatum, & afflictum: è contrà in intermittentia quietum, & tranquillum ad instar sani (& tamen decurrit incessantèr in vasis torrens sanguineus.) Ergo hostes humores sunt, qui iuxtà periodos suos sese moventes ad sanguinem, & spiritum aggrediendum, ægrum affligunt, & exagitant, non verò somniata sanguinis abundantia: Illi ergo profligandi, & purificandus sanguis, non effundendus.

Menstrua sunt præcisa intentio naturæ, nec ab ipsa ordinantur ullo modo ad imminuendam plethoram. Et Hippocrates in menstruorum suppressione varia præscribens remedia, nunquam phlebotomiæ meminit, ut patet in libris de Virginum morbis, de natura muliebri, de morbis mulierum. De facto sunt fæminæ vel longa hæmorragia, vel acuta febre ità emaciatæ; extenuatæ, & exan-

gues, ut ſceleta videantur; Et tamen in tanta ſanguinis inopia adhùc lunares emiſſiones patiuntur. Et ſi hoc ordinaretur ad diminuendam plethoram, reſpondeant mihi: Cur illis fluunt, quæ penè ſanguine carent? Cur ſemper ab utero? Cur non per alias vias? Cur ſemper præfixo, & determinato tempore? Etiam fæminis ſquallidis, & rigoroſa inedia maceratis fluxus lunares fiunt, & tamen in ipſis ſanguinis colluviem nec Poetæ fabularentur: Ità etiam ſi virgini nubili menſtrua non appareant, ridiculum eſſet ſanguinis penuriam pro cauſa aſſignare.

Hæmorroides ſimilitèr indifferentèr accidunt & macris, & obeſis, & complexis, & macilentis, ac penè exanguibus. Si eſſet à ſuppoſita plenitudine hic morbus, ſolis vocatis plethoricis accideret, non autē ſenibus frigidis ob ſanguinis penuriam quod experientia falsū docet; nam cuilibet complexioni, & ætati indifferentèr eveniunt. Non procedunt ergo à ſuperfluo ſanguine, ſed ab acido bilioſo, ſeu acrimonioſo ſtagnante in

muſ-

musculis, & glandulis intestitini recti, & irritatione sua, præcipuè in dejectionibus dolorem afferente &c. Hippocrates etiam *lib. de hæmorroid. num.* 1. nullatenus plenitudinem sanguinis inculpat, sed ait, esse bilis, vel pituitæ remorationem.

Neque fluxus sanguinis narium est naturæ exoneratio præ nimia quantitate: hoc enim pari modo succedit indifferentèr omni complexioni, sexui, & ætati; Et in causa sunt vitia ejusdem sanguinis plus, vel minùs acidi, acris, salini, sulphurei, venulas corrodentis. Nec novum est, hydropicis sanguinis penuria laborantibus sanguinem è naribus stillare, non alia quidem ratione, quam quia aqueus est; Undè particulæ illæ fluxiles, & penetrantes facilitèr evadunt, & effluunt.

Hinc infero, magnum esse discrimen inter missionem sanguinis naturalem, & violentam; Natura enim provida, ut noxia è corpore extrudat, mediante circulari motu, spiritu, & calore, æthe-rogenea disgregante, priùs sanguinem

ipſum quodamodo cribrat, & eventilat, & impuritates, ac lutulentas portiones ad ſuperficiem, & ad orificia, in quibus patere poteſt exitus, paulatim redactas, foras emittit. Lanceola verò non habet, nec habere poteſt hoc judicium diſcretivum, quo ſecernat pretioſum à vili, probum à fæculento ſanguine. Ideò phlebotomare non eſt naturam imitari, ſed naturæ adverſari, & eam à ſuis intentionibus detorquere: Naturæ enim eſt, utili, & ſpirituoſo ſanguine retento, noxium, & vitioſum proiicere: At phlebotomiæ eſt, utrumque, imò meliorem magis violentèr, & cum magno individui detrimento diſſipare. Oh utinam Profeſſores Hippocraticum illud præ oculis habentes, *quæ ducere convenit &c.* (qui aphoriſmus, utpotè maximi momenti, alibi ponderabitur) naturæ indolem accuratè inſpicerent, & explorarent, ut ejus veſtigia, tamquam veri miniſtri ſequantur, non declinando ad dexteram, ſiuè ad ſiniſtram! Quot hominum vitas ſervarent, quas miſere interimunt?

Tan-

Tandem hoc primum punctum claudo sensibili, & irrefragabili ratione. Sanctorius docet *aphor. 6. de ponderatione. Si cibus, & potus unius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere solet ad quinque libras circiter.* Ex tribus libris remanentibus, dimidia, & ampliùs in uno die transvolat per halitum oris, ex observatione ejusdem Sanctoris, approbata ab Alphonso Borello *de mot. anim. prop.* 181. Michaele Etmulero *de mot. sang. ad corp. circunf. cap.* 17. Francisco Boile *de corp. anim. porosit. cap.* 3. Malpighio *de extern. cut. organ. pag.* 30. & aliis. Addantur urina, & fæces. Addantur sputum, & mucositates narium, quæ determinationem non habent. Hoc certum est, quod quanto plus alimenti erit in corpore nostro, tantò copiosiores erunt dictæ evacuationes ex doctrina Hippocratis *lib. 3. de diæt. num.* 13. *mucus, & saliva repletionis indices sunt, & signa.* Addatur nutritio ex potiori ciborum succo. Addatur augmentatio in tenera, & juvenili ætate, pro qua, ex alibi citato

Hip-

Hippocrate, copiosiori alimento opus est; aliter corpus dissolvitur, & absumitur. Hac peracta cibi, & potus anadosi: quid supersit aut superesse possit, recogitet intrà se prudens Lector, & dicat. Undenam, ubi, ex quo, in quo, quibus auxiliis, cur, quomodò, quandò plenitudo hæc, torrens iste sanguineus, rubrum fluentum efformatur; ità ut ferro sit aperiendus alveus, ut effundatur, quia imminet quod canebat illæ Poæta. *E non capendo in se stesso al fin s'estolle sopra li orli del vaso, e inonda, & spuma?* Opinionem istam, timorem hunc panicum provenire puto ex ignorantia insensibilis transpirationis; quare audiendus laudatus Sanctorius *sect.* 1. *aphor.* 2. *Si medicus, qui præest aliorum sanitati sit solum capax additionis, & evacuationis sensibilis, & nesciat quanta sit quotidiè illorum perspiratio insensibilis, illos decipit, & non medetur.* Dicamus ergo sicuti est, & demus veritati locum. Plethora, corpus plethoricum nomina sunt benè sonantia, ab ingenii artificio adinventa in favorem...& passim

ſim uſurpata ad decipiendam vulgi ignorantiam, & hominum ſimplicitatem, ut cum primo ſanguine extrahatur etiam ſecundus, venoſus, inquam, & arterioſus.

PUNCTUM SECUNDUM.

COnſtat ergo (etiam præſcindendo à vaſorum dilatatione, per quam ſemper capaciora fiunt contento, & poſſibili contineri) non dari, nec generari hanc ſanguinis plenitudinem, quam ſanguipetæ prætendunt. Et meæ aſſertioni adſtipulantur Elmontius *de febr. cap.* 4. Bontechoe *in anat.* Leonardus de Capua *rag.* 5. Lucas Tozzi *com. in aphor. Hip. pag.* 32. 33. Cnoffelius *apud bibl. med. tom.* 2. *lib.* 8. Scala *phleb. damn. cap.* 13. & alii, qui ſolidis rationibus, & rationabilibus experientiis ſenſibilitèr demonſtrant, ſanguinem nunquam poſſe nimis abundare propter conſummationem, cujus continuò, & inceſſantèr fit. Sed quandò etiam daretur hæc ſuperabundantia, non eſt ſufficiens ratio ſun-

fundandi timores aut vitæ, aut salutis. Et probo.

Hæc sanguinis quantitas admodùm instabilis est, ephemera, ocyssimè transiens, & evanescens; Corpus enim nostrum est vorago, quæ tantum dissipat, & absumit, quantū recipit. Hoc nos docet in nobis nunquam cessans experientia. Supposita sanguinis circulatione, quæ sicut nulli ignota, ità à nullo credo denegari: Supposita majori sanguinis quantitate in humano corpore ab Authoribus admissa: Supposito cum communiori opinione, quod saltèm dimidia uncia sanguinis in qualibet dyastole à ventriculis cordis hauriatur, & consequentèr in systole expellatur: Supposito, quod in quadranti horæ mille circitèr pulsus habeantur, ut ego in meo expertus sum, & quisque pro libito in suo carpo experiri potest, per necessariam illationem totus sanguis, & plus dimidio in quadranti horæ per cordis sinus pertransit, & circulationem perficit. Quod si etiam velis, in qualibet dyastole hauriri minorem quantitatem, v.g.

solùm unicam dracham (quia opinio de guttula ridicula eſt) adhùc in horæ dimidio circum circa totus ſanguis girum ſuum complet. In hac igitur circulatione, quam ad longiùs in horæ dimidio peragi concedendum eſt, quot ſecretiones fiunt à ſanguine? In caua parte epatis deponit duplicem bilem, craſſam, & fæculentam à radicibns cavæ in canali bilario: tenuem, & ſinceram à vena porta in veſica bilaria; Inſuper humorem aqueum, qui per inguina expurgatur, dicta proindè emunctoria epatis. In corde à ſummo calore fit fumoſa evaporatio, quæ impingens in frigidam membranam pericardii, condenſatur in aquas in fundo ejuſdem pericardii continuè percolantes (ob motum cuſpidis cordis) quæ ſucceſſiuè expurgantur per axillas, dictas proptereà emunctoria cordis. In pulmonibus ſecernuntur fuligines per tracheam tuſſi, & excreatione expulſæ. In ventriculis cerebri ſeparatur copia ſalivæ, ad glandulam pituitariam per infundibulum tranſmiſſæ, indè per os exputæ; nec non copioſa pituita, & mu-

cus

cus per os cribrosum, & nares expurgatus. In renibus succenturiatis humor atrabilarius reponitur. In renibus veris serum ipsius sanguinis deponitur ut per ureteres in vesicam delapsum eiiciatur. Si ergo in quolibet circuitu tot secernuntur à sanguine excrementa, si ipsa pars rorida sanguinis in alimentum omnium partium, quæ continuè deperduntur, incessantèr vertitur, nonnè vides, quantitatem illam sanguinis suspectam quolibet momento notabilitèr imminui, & deficere, ac proindè ad eam restaurandam nos alimento indigere? Quid ergò timendum?

Sed ad diminutionem sanguineę massæ parum sunt sensibilia excrementa respectu insensibilis perspirationis, qua magis sublevamur, quam omnibus sensibilibus simùl sumptis. Undè Hippocrates *de morb. popul. lib. 6. Indicio est sensus ipse, quod expirabile, ac inspirabile est totum corpus: calidissima venula sanguinis multitudine id, quod fuliginosum est exerit, ac statim secernit. Et lib. 4. de morb. nu. 28. Et si quidem foras prodeat*

plus

plus humoris, quam de cibis, ac potibus accessit, homo attenuatur. Per hanc perspirationem ex arte statica Sanctorius 30. annorum experientia deprehendit, è pluribus corporibus unica die naturali tantum evacuari, quantum per alvum 15. dierum cursu: Sic refert Thomas Bartholinus *Anat. reform. lib.* 1. *de infimo ventre cap.* 2. *de cute*. Si tibi creditu difficile, apud eum fides. Hoc scio, quod Hippocrates *lib. de alimento nu.* 6. habentibus raram cutis texturam, è qua copiosior fit perspiratio, majorem sanitatem promittit. *Raritas corporis ad perspirationem, quibus ampliùs aufertur saniores sunt.* Et ratio est, inquit Sponius ejus Interpres, quia excrementa superficiem versus continuò expulsa à glandulis cutaneis recipiuntur, istæque foras transmittunt vel per sudorem, vel per halitus invisibiles; Undè quantò liberiora sunt cutis spiracula, tantò citiùs, & faciliùs à fæcibus infestantibus sanguis expurgatur.

PUN-

PUNCTVM TERTIUM.

VErùm adhùc concesso ulteriùs, ex sanguinis abundantia periculum imminere; ad illud evitandum recurrendum ne est ad phlebotomiam?

Respondeo: Minimè, nequaquam. Et hujus responsionis habeo fidejussorem Hippocratem *lib. de Diæta à nu.* 12. *usque ad finem*. Divinus senex proponit sibi ante oculos majora pericula ab ipso verita ex sanguinis copia, & nunquam in cura de phlebotomia cogitat: Videt signa sanguineæ repletionis, advertit imminere pericula destillationum, fluxus sanguinei, hydropis, febris validæ &c. Attamen semper phlebotomia relicta, præscribit plus, vel minùs diætam, manè, & vespere corporis exercitium, frictiones, vomitum, medicamenta purgantia, & balneum. Quod si hoc non obstante, morbus protrahitur, vomitum præscribit secunda vice, & etiam tertia, si opus est. Hoc modo pellit è corpore noxiam humorum copiam,

piam, & infirmos ab imminentibus periculis incruente liberat.

Ampliùs. Si febricitaret homo ex copia ſanguinis exuberante, prohibet Hippocrates vi ferri è venis extrahi, ſed potum aquæ per tres dies jubet exhiberi ecce præcepta *lib.3.de Diæta n.* 16. 17. *Verum opportet providere antequam ad morbos perveniant, & hoc modo curare. Et ibid. Si verò providentia non adhibita ad ſebrem pervenerit nihil aliud offerre oportet, præter aquam per tres dies Et de locis in homine num.*39. *Cum itaque laſſitudo occuparit, & febris, & repletio, lavare multa aqua oportet, & oleo illinire, & quam maximè calefacere, quo caliditas aperto corpore præ ſudore egrediatur.*

Ampliùs. Etiam in corporibus turgidis, & ut ità dicam ſanguine inflatis, in quibus prævidet ipſe Hippocrates impetuoſam ſanguinis eruptionem, ità quod in ipſo ictu homo moriturus ſit, nunquam plebotomia utitur. Ecce verba *lib.3.de Diæt. num.* 18. *Periculum autem ſubeſt, ut quo erumpat ipſæ*

repletio, id ipſum corrumpat. Verùm providere hoc modo oportet: Si curam celerem facere velit, veratro purgandus eſt deindè exhibendi cibi leves, ac molles ad dies decem. Tam alienus, tam longè eſt Hippocrates, ut accurrat dextra lanceola armata ad ſecandam venam, quod imò hæret anceps, an aliis remediis, præſtare debeat curam celerem, necne?

Diſcant ergo Profeſſores à primævo artis ſuæ Magiſtro, quem ſequi ſe jactitant, & cujus oracula venerantur, diſcant veram medendi methodum. Si dubitant de prætenſa plethora, cur illicò currunt ad ſanguinem? Deficiuntne & veriora, & tutiora, & minimè nociva remedia? Ego adinvenio expreſſum in Hippocrate, & cunctis ſapientibus ejus Aſseclis, ſudorem, ſomnum, laborem, diætam, vinum auſterum, aquam calidam, exercitia, purgationes, frictiones, balnea valere ad extenuandum corpus, ad minuendum ſanguinem. Et ſi hoc poſſunt omnia iſta ſigillatim ſumpta, quid non poterunt ſimùl

unita?

unita? Paulus Ægineta famosus Græcus *lib.* 1. *cap.* 54. in sanguinis copia non cogitat de venæ sectione, sed statim ad balneum confugit, ut ad remedium securius, & nullius damni. Galenus ipse *de method. med. lib.* 4. *cap.* 6. *& lib.* 13. *cap.* 6. *& de sang. miss. cap.* 8. *& in Hip. de vict. acut. cõm.* 4. in humorum culmo, relicta phlebotomia, præcipit balnea. Hoc idem admonuit Avicenna *lib.* 1. *fen.* 4. *doctr.* 5. *cap.* 20. Et demùm Hippocrates in libris de Diæta ad corrigendam sanguinis superfluitatem, balnei remedium, eligit, postposita tamquam nociva phlebotomia.

De diæta verò, quod corpus emaciet, & humores consumat, superfluũ est probare: Undè hanc cæteris remediis præstare, testatur Hippocrates his verbis *lib.* 3. *de diæt. num.* 21. *& alibi*. *Verùm tutior à diæta*. Ità quod etiam in morbis acutis curandis sola diæta ut plurimùm usus est, ut patet legenti libr. de victu acut. & libros de Diæta. Loquor tamen de diæta discreta, & rationabili, quæ morbo vires subtrahat: Non lo-

quor, nec loquitur Hippocrates de inedia, quæ naturam destruat, quam imperiti quidam infirmis ità rigorosè præscribunt, quod necesse est non vi morbi, sed inopia alimenti naturam deficere, & ægros mori. Talis diæta est remedium morbo deterius: siquidẽ nutrienda natura est, & alimento facilis coctionis, & boni succi vigoranda, ut morbo prævalere possit. Nè igitur in hoc extremum incidant, audiant Professores magnum Magistrum optimè docentem *in lib. aphor. sect. 1. aphor. 5. In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, ut magis lædantur: quicunque enim error committitur magnus major in hoc fit, quam in paulò pleniori victu.*

Hisce tribus punctis ostensis, patet propositum; scilicèt pro minuenda, in remedium, sanguinis quantitate, admittendam non esse plebotomiam. A primo ergò ad secundum caput descendo, & à quantitate ad qualitatem discurro.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Phlebotomia pro emendanda sanguinis qualitate inanis est, & superflua.

PHlebotomia vitia sanguinis nec emendat, nec emendare potest. Probo primò authoritate: secundò ratione.

Leonardus de Capua *pag. mihi* 349. Lucas Portius *de sang. miss. pag.* 27. Doncherus *cap.* 12. *pag.* 355. unanimitèr dicunt, errorem esse & vanitatem, præsumere massam sanguineam meliorare lanceolæ acumine. Elmontius *de febr. cap.* 8. *num.* 7. & 8. Merclinus *de ort. & occas. transf. sang. pag.* 48. Claudius Teodatus *lib.* 3. *cap.* 2. Cnoffelius *in consult. apud bibliot. med. lib.* 8. *pag.* 759. Schelameri *de febr. part.* 3. Manget *bibl. med. lib.* 2. *pag.* 258. Lucas Tozzi, & alii plures Authores moderni, summa laude digni, omnes uno ore clamant; non esse arte in medica quid magis ridiculum, quàm præsumere sanguinis missione sanguinis imperfectiones emenda-

re. Leonardus de Capua *ragion.*5. Don chers *febr. petecch. cap.* 12. Lucas Por tius *de ſang. miſs. pag.* 27. Scala *phleb damn. cap.* 13. Sinapius *paradox. med part.*1.*pag.*91. Omnes concorditèr per pulchra paritate exprimunt hujus præ ſumptionis vanitatem, dicentes: Velle ſanguinem expurgare, extrahendo a corpore aliquam ejus portionem, eſ velle vinum corruptum, & putre ſana re, extrahendo è dolio aliquas menſu ras. Et ſicut venenum viperæ ſemel in ſanguine penetratum non amplius per phlebotomias retrahi poteſt, ità nec vitia, & malæ qualitates à ſanguine contractæ poſſunt ab eo per phlebotomiam ſeparari, ut proſequitur citatus Leonardus de Capua.

Aſſertio mea confirmatur ab Horatio Augenio *de miſs. ſang. lib.*4.*cap.*2. *&* *de curat.per ſang.miſs.lib.*7.*cap.*4. *&* 11. Paulo Egineta *lib.* 1.*cap.*54. à Galeno ipſo pluribi, ſcilz. 4. *meth. cap.* 6. *&* 7 *meth. cap.* 11. *&* 13.*meth. c.*5.*&* 6.*&* in *lib. de rat. cur. per ſanguin. miſs. &* in *com. lib.*2.*aph.*8. *& alibi*, ſed præcipuè

lib.

lib.6.de ſanit. tuenda. Non vult in humorum vitioſitate venam aperiri, ſed adhiberi purgatiua pharmaca, utpotè, quæ directè noxios humores petunt, aggrediuntur, & foras educunt. Et talem fuiſſe etiam Hippocratis praxim confirmat idem Galenus *in comm.* 8. *aphor. lib.* 2. Siquidem optimè noverat, è vena ſecta cum humore noxio ſimul & laudabilem erumpere, cum vitioſo unà & bonum ſanguinem exire, non ſine magno ægroti præiudicio. Audiant Galeniſtæ Galenum *de ſanit. tuend. lib.*4.*cap.*5. *Venæ ſectiones quippè utile quidem evacuant. Et de med. purg.cap.ult. &* 2.*aphor.* 17. *&* 1.*de nat. hum.cap.*16. *Inciſa vena bonum ſanguinem emittit.Et de purg.med.fac.c.*2.*ſanguinis miſſio eſt evacuatio omnium humorum æqualitèr.* Hanc veritatem docent cum Galeno etiam alii Antiqui, præcipuè Fernelius *lib.*2. *method. med.* & Maſſaria *de ſcop.mitt. ſang. pag.* 79. Hanc docent omnes citati Moderni. Hanc docet ratio à priori: nam ab aperta vena ſtillat ſanguis, qui, & quomodò

in vena continetur; ſed in vena probus cum pravo continetur promiſcuè, non enim iſte ab illo ſeparatim circulat Ergo &c.

Hoc indubitantèr ſuppoſito: Quiſnam erit ità ſtolidus, ut credat per venæ ſectionẽ vitia ſanguinis emendari? Tunc per phlebotomiã depuraretur ſanguis, quando per ipſam poſſent ſecerni, & extrahi fæces, quæ ſanguinem inquinant, & qui ſupereſt in vaſis remaneret in primæva ſua puritate, inſtructus ſpiritibus illis, qui ſunt ipſius ſanguinis vitale balſamum: Sed ſic eſt, quod à venæ ſpiraculo emanat imò flos ſanguinis, imò elixir vitæ, imò ſpiritus naturales, utpotè ſubtiliores, & ad motum velociſſimi; conſequentèr qui remanet, nedùm fæculentus ſicut priùs, ſed etiam ſpiritibus deſtitutus. Ergo falſum eſt per phlebotomiam poſſe ſanguinem emendari.

Inſuper. Vel illa portio ſanguinis prava, & infecta, parva eſt in comparatione alterius partis probæ, & non infectæ; vel vice verſa. Si primum: Eſtne ratio-

rationabile ob parum imunditiæ extrahere à corpore quantitatem utilis, & pretiosæ substantię cum tanta spirituũ dissipatione, quando per hoc nec ipsa imunditia extrahitur; & per aliam viam, scilicet medicamentis secerni, & excerni potest? Quid est hoc aliud, quam pretiosam unionem proiicere, quia aliqualitèr luto inspersam, quæ tamen de facili expoliri posset? Si secundum: Galenus *lib.* 4. *de tuend. sanit. cap.* 4. prohibet sono tubæ sanguinis emissionem. *Si bonus sanguis modicus sit, reliquus verò succus plurimus, utique in his abstinendum à detractione sanguinis.*

Insuper. Ex Hippocrate *lib.* 1. *de morb. popul. sect.* 2. *Ars ex tribus constat, morbo, ægroto, & Medico artis ministro, ægrotum cum medico adversari morbo oportet.* Sed ægro venam secare, non est ægrum cum medico aduersari morbo, sed medicum cum morbo conjurare in naturæ perniciem, auferendo eidem arma illa, & vires, quibus solis de morbo triumphare potest (& hæc minor argumenti satis patebit ex di-

cen-

cendis.) Ergò tam longè abeſt, ut per venæ ſectionem vitium ſanguinis corrigatur in favorem naturæ, quod imò contrà naturam ipſam conſpiratur.

Reponunt primò. Si phlebotomia extrahitur de bono ſanguine, diminuitur etiam de vitioſo; Undè aufertur portio morbi in ſanguine contenti.

Reſp. quod ſub pernicioſo prætextu vulgò inſcienti decantato benè agendi, & malum auferendi per phlebotomiam, nec bonum faciunt, & duplex majus malum inducunt (ultrà alia mala conſequentia,& valdè conſiderabilia.) Unũ eſt præbere hoſtilibus humoribus majorem aditum à ventre in venas: Aliud eſt notabilis virium diminutio, quam cauſat phlebotomia, nam ſi extrahitur uncia morbi, multò plus probi ſanguinis diſſipatur: quæ veritas eſt palpabilis. Sint in corpore 24. libræ ſanguinis; ſupponamus in ſanguine febricitantis eſſe quatuor libras vitioſi humoris (qui nunquam tantus eſt;) emittatur libra ſanguinis: quæro, quantum pravi humoris extractum eſt? Certè

non

non plùs quam duæ unciæ mali,& decem probi sanguinis. Et hoc est magnum lucrum amittere decem pro lucrandis duobus? Sint etiam quatuor unciç extracti pravi sanguinis(hoc modo esset tertia pars corupti humoris in sanguine, quod est creditu dificile:) semper dilapidantur octo unciæ probi sanguinis, ultrà jacturam spirituum evolantium in exitu sanguinis à vena, quæ superat copiam spirituum in ipso sanguine contentorum. Tantum abest,ut per phlebotomiam minuatur peccatum sanguinis, aut vitiosa ejus qualitas emendetur.

Reponunt secundò: quod utuntur phlebotomia ad minorandam vitiositatem ut remanens sanguis faciliùs cedat virtuti pharmaci.

Contrà. Si minoratur vitiata quædam sanguinis portiuncula, aufertur etiam valdè major pars bona, & utilior, & substantialior; Et ressiduum sanguinis infectum remanet, & impuritatibus onustum sicut prius: Imò si unà cum sanguine spiritus evacuantur, qui sunt naturæ arma, eadem exarmata, langui-

da,

da, & viribus destituta, faciliùs cedet morbo, quàm medicinæ teste Hippocrate *lib. de vict. ration. in morb. acut. num.* 36. *Debili verò evadente corpore, morbus invalescit: Cum autem morbus corpori prævaluerit, tale jam incurabilitèr affectum est.*

Reponunt tertiò: quod per phlebotomiam extrahitur sanguis vetus, ut introducatur novus, & melior.

Contrà. Usu etiam optimi alimenti non potest generari sanguis melior, detracto. Si succus boni alimenti inalteratus & qualis sumitur, ingrederetur, vasa sanguinis, sicuti vinum optimum imperturbatum ponitur in dolio, ut melioretur corruptum, quod inerat, concederem, usu boni alimenti mutari posse in meliùs sanguinem evacuatum. Sed observandum est, quod cibus vix in ore assumptus statim, ac salivæ impuræ permiscetur: in pharinge cum liquoribus instillatis à glandulis tonsillis, & amygdalis ad facilitandum transitum; In stomacho perfunditur succo dissolvente, & digestivo: In inte-

intestinis associatur succo bilioso, & pancreatico: Ulteriùs cum humore glandularum intestinalium, indè mesentereicarum: Dehinc saliens per vasa thoracica, ut abeat ad subclaviam, confunditur etiam hìc cum lympha à pectore proveniente. Igitur priusquam perveniat ad sanguinem, in tot circumgirationibus imbibitur in via, & commiscetur liquoribus diversis; Cum autem liquores isti à fonte infecto procedant, utpotè separati à sanguine contaminato (ut supponitur) non possunt esse, nisi infecti, & corrupti; Et consequentèr florem ipsius alimenti mixtione sua depravant, & inficiunt. Quod enim docuit Galenus *ad Glauconem lib.* 2. *cap.* 2. de medicamentis, quod perveniunt ad sanguinem languida, & obtusa, proptèr mutationem, quam recipiunt in tot meatibus, & canaliculis, immixta in ipsis tanta humorum diversitate alterante, & transformante: hoc idem accidit ciborum suco ad sanguinis officinam permeanti. Intrat postremò chylus in vasa sãguinis & fit sanguis, sed

à quo?

à quo? A ſanguine præexiſtente; Ergò non melioris conditionis. Ergò ſanguis productus ex chylo jam infecto in via, & à ſanguine jam contaminato, ex hyppotheſi, nequit eſſe, niſi vitioſus, & infectus: implicat enim dari effectū perfectiorem cauſa. Sic ergò in forma. Quantò debilior, & languidior eſt ſanguis, tantò minùs valet in naturam ſuam chylum convertere: Atqui poſt phlebotomiam ſanguis reſſiduus eſt debilior, & languidior: Ergo poſt phlebotomiam ſanguis reſiduus minùs valet in naturam ſuam chylum convertere. Ergò crudo, & indigeſto remanente chylo, non tranſibit in naturam probi ſanguinis; Et conſequentèr de malo in pejus procedet poſt phlebotomiam ſanguificatio. *Quæ* igitur *utilitas in ſanguine meo, dum* hoc miſſo è vena, magis *deſcendo in corruptionem? Pſalm.29. verſ.* 10.

Dices. In multis poſt gravem infirmitatem melioratur complexio, caro, color, ſanitas, vigor &c. Ergò per cibum melior ſanguis generatur: Nec

verum

verum eſt, quod poſt phlebotomiam de malo in pejus procedat ſanguiſicatio.

Reſpondeo. Et priùs ſcire vellem ab iſto obiiciente, quare procedente ætate deficit ſpiritus, debilitantur vires, hebetantur potentiæ, agravatur, & deformatur corpus, dicam verbo, quare homo ſeneſcit? Nonniſi, quia gradatim, & iuſenſibilitèr ſemper deterioratur ſanguificatio; nam ſanguis ex alimento confectus impurior, & imperfectior eſt ſanguine primigenio; Ità quod proceſſu temporis adeò debilitatur, & deterioratur, ut calorem naturalem, & humidum radicale ampliùs conſervare, & miniſtrare non poſſit, nec ſpiritus vitales efformare ad vitam allendam. Hinc eſt, quod homo paulatim deficit, & tandem reſſolvitur, & moritur.

Quod autem quis ex gravi infirmitate convaleſcens melioretur in complexione, in ſanitate &c. hoc provenit ex valido temperamento, ex viribus naturæ, ex florida ætate; ſicut enim natura ſuperavit morbum, ità paulatim ſangui-

guinem defæcavit ad bonum ad meliu esse individui, ad quod tendit: Und mirum non est, quod infirmus meliù se habeat etiam post, quàm ante infir mitatem, nam tunc præerat dispositic ad infirmitatem. Cæterùm citius, & in perfectiorem refloruisset salutem, s phlebotomatus non fuisset. Stat ergò in suo robore ratio: quod sicut in sanc non generatur ex alimento sanguis melior contento (alioquin nunquam homo senesceret;) multò minus in infirmo phlebotomato, in quo infirmatur & debilitatur causa generativa, fieri potest ex victu sanguis melior emisso. Et quandò dico, quod de malo in pejus procedit sanguificatio; si velis inferre: Ergò brevi tempore ità pejorabit sanguis, quod inutilis erit ad vitam. Dico quod non tenet hæc consequentia absolutè, & universalitèr; quandoque enim adhùc naturæ vires supersunt, quibus seipsam sustinet: sed tenet tantùm ut in pluribus; Siquidem ratione phlebotomiæ, potissimùm, replicatæ potest sanguis ità spiritibus depauperari, ità
infi-

infici, ità præcipitantèr de malo in pejus abire, quod inutilis omninò fiat ad vitam. Et heu! In quot infirmis phlebotomia occisis evenire cernimus! Si verò natura adhùc viribus pollens morbum evincat, tunc tota paritèr sanguinea massa expurgata, convalescit. Concludendum ergò, phlebotomiam nec sanguinem perficere, nec pravas ejusdem qualitates emendare.

Reponunt quartò; (& est Achilles sanguipetarum) quod extrahitur sanguis, ut rectum judicium feratur de morbis : sanguine enim inspecto, & consistentia, colore, aliisque observatis, dignoscitur ejus qualitas bona, vel rea, & judicatur de morbo, & causa morbi, ut apta remedia exhiberi possint.

Tanti ponderis est ista obiectio, quod pro adæquata responsione totum ei debetur sequens.

CAPUT TERTIUM.

Phlebotomia pro ſanguinis inſpectione fallax, & vana.

HIc optimè quadrat quod Petrarca canebat 1. *p. regnano i ſenſi, e la ragion è morta.* Sanguipetæ ſic fidunt oculis, quod rationem renuunt, cujus ſolius eſt fallacias detegere, & ſenſus errores emendare. Obiectio facta in calce præcedentis capitis eſt judicii illuſio, eſt fenomenum, quod oculos mentis perſtringit; ne dicam muſcipula ad decipiendos infirmos. Remus apparet fractus in aqua, quia ſpecies ejus intentionales tranſmiſſæ tranſeuntes per medium denſius aquæ, indè per rarius aeris, franguntur à perpendiculari, & incidit ibi angulus; Undè ſic fractæ ad oculum pervenientes, talis producitur viſio exprimens remum fractum quo ad eſſe repræſentabile, non quò ad eſſe reale. Tales ſunt colores in ſanguine, quales in iride, quales fra-

ctura

ĉturæ in remo, quò ad apparentiam, non quò ad realitatem.

Dico ergò, quòd à ſanguinis inſpeĉtione nullatenùs comprehendi poteſt morborum hiſtoria; Nec ab ejus colore, vel aliis accidentibus aliquod lumen haberi, aut reĉtum judicium efformari poteſt pro infirmitate curanda. Pro quo Boile *de ſang. hum. hiſt. pag.* 124. Borelli *de mot. anim. prop.* 222. Antonius d'Eide *obſer.*86.*pag* 175. Scala *phlebot. damn. cap.* 12. fidelibus experientiis oſtendunt, incertum eſſe, & fallax judicium ſanguinis, & concludunt, ſanguinem diverſorum ægrorum extrà ſua vaſa quò ad ſenſibiles qualitates in nullo diſſimilem eſſe à ſanguine ſani.

Michael Etmullerus teſtis ocularis *inſtit. med. pag.* 19. aſſerit, probum, & ſincerum ſanguinem tingi poſſe infauſtis coloribus; & è contrà pulcherrimum, & benè coloratum peſſimis qualitatibus infici, uti ſanguis in malignis febribus quandoque extraĉtus, nitidus apparet, vagus, & laudabilis: quam

veritatem confirmant Sculzius *in mis cell. cur. ann.* 4. *obs.* 114. Boneti *anat. pract. lib.* 3. *sect.* 21. Borelli *de mot. anim. prop. ult.* Riverius *prax. med. lib.* 17. *cap.* 1. Sanctorius *com. in* 3. *aphor. Hipp.* Malpighius *nella Galleria di Minerva tom.* 2. *part.* 11. *pag.* 380. Manget *in annotat. in lib. de feb. cap.* 7. Dilectus Lusitanus *de ven. sect. cap.* 15. *art.* 1. Sualve *disquisit. sect.* 6. Fracassatus *de cerebr. apud. bibliot. anat. pag.* 315. Cnoffelius *de febr. mal. epidem. pag.* 54. Bartholinus *apud bibl. med. tom.* 2. *lib.* 6. & Diamerbroech *lib.* 2. *cap.* 12. dicens, se vidisse in febribus malignis, pestiferis, & epidemicis sanguinem è venis extractum pulchri coloris, bonæ, & laudabilis consistentiæ, ità quod nullum vitium in ipso depræhendi poterat; Et tamen sanguis ille maligna qualitate infectus erat, & taliter, quod ægroti, inquit citatus Author, infrà paucos dies moriebantur. Ergò nullum rectum judicium in sanguinis inspectione fundari potest.

Simon Pauli *de febr. malign. pag.* 21. vidit exilire è vena sanguinem tam benè

nè coloratum, floridum, & ſpirituoſum, quod videbatur ex arteria ſtillare; Et tamen frigefactus evaſit corpus ſolidum tantæ conſiſtentiæ, & tenacitatis, quod inverſo vaſe, ne minima quidem guttula defluebat, ità pertinacitèr condenſatus vaſis fundo adhærebat. Et aſſerit idem Author *pag.* 13.14. *&c.* vidiſſe ſanguinem è vena ſecta fluere adeò fætidum, & malè olentem, quòd longum ambientis aeris ſpatium intolerabili fætore inficiebat; Et tamen color, inquit, ſincerus erat, & pulcher aſpectu. Credant modò colori ſanguinis, & judicent.

Franciſcus Boile *probl.* 2. Scaramuzzi *theorem. prim. pag.* 21. Sinapius *paradox. med. part.* 1. *pag.* 26. obſervarunt, quod ſanguis ſeparatus à corpore, ſi frigefiat in loco frigido, videtur coloratior, & rubicundior, quam ſi in loco calido. Similitèr ſi ſanguis ex eadem vena ſcaturiens recipitur in vaſe amplo, valdè accenſus apparet: è contrà turbidus, & obſcurus, ſi in anguſto colligatur. Et Riverius *prax. med. lib.* 5. *cap.* 7.

nos certificat, quod si sanguis guttati stillabit è vena, purus, & sincerus ap paret, sicuti etiam si in sparso vase co ligatur.

Sidenam *sect. 6. cap.* 3. Boile *probl.* Scaramuzzi *theor.* 1. *pag.* 21. observan facillimè mutari colorem sanguinis; enim orizontalitèr saliat è vena, colore differt ab eo, qui perpendiculantèr flui Et si à brachio stillatim cadat, dissimi lis est illi, qui interruptis rivis erumpit Si ergò sanguis juxtà motum magis, ve minùs concitatum, colorem immutat quodnam argumentum ex ejus varietate trahi potest? Si tam facilè alteratur, & aspectum mutat; quænam fides colori sanguinis? Sidenam *de pleurit. sect.* 6. *cap.* 3. asserit, sanguinem cujuslibet ægri, quomodolibet à vena profluxerit, si digito agitatur, semper crusta ejus, seù superficies est uniformitèr colorata. Ergò, si non variatur color inter sanguinem unius, & alterius infirmi, nihil judicari potest.

Quod in febribus quartanis peccet sanguis melancholicus, coloris turbidi,

&

& nigricantis, vulgus credit, & plures Authores ſcripſerunt. Attamen Piens *de febr.cap.* 11. refert, ſæpè eum vidiſſe è venis exeuntem ſplendore purpureo, & admodum vago. Similitèr ſanguis ab hæmorroidalibus extractus, ut advertunt Bellinus *de ſang. miſſ. prop.* 8. & Maſſaria *de ſcop. mittend. ſang. in febr. pag.* 151. viviſſimus eſt, & ſcintillans: Et tamen, ajunt, juxtà communem ſenſum, eſſe deberet turpior, groſſior, & terreſtrior ſanguis. Ergò ratio coloris fallaciſſima eſt. Nec mihi obiiciatur, quod aliquis talem ſanguinem vidit nigri coloris: Reſpondeo enim, quod imò per hoc, quod ille vidit obſcurum, iſte rubeum, alius alitèr, nulla fides colori ſanguinis præſtanda.

Inſuper chylus ſanguini ſe immiſcens non ſtatim candorem deponit, ſed per aliquod tempus ſanguinem ipſum decolorat, & pallere facit. Hinc ſi animali aufertur ſanguis quinta, vel ſexta hora poſt paſtum, tralucens eſt, & dealbatus: Teſtibus Arvæo *de gen. anim. fol.* 205. Lover *tract. de cord. apud bibl. anat.*

*pag.*115. Craanen. *de hom.pag.* 127. Burgurd *phyſ.part.*3.*pag.*831. Lanzoni *animadv.*72. Lanzuerde *pag.*97. Conſentino *progim.*6.*pag.*253. Bonio *circul.anat.* *pag.* 180. & aliis. Imò teſte Bartholino *hiſt. lact. thorac. cap.* 13. Tulpio *obſ. lib.* 1. *cap.* 58. Bauſchio *in ephem. German.* *tom.* 1. *obſ.*27. & 132. Graaf. *apud bibl. anat. pag.*411. Beto *de ort. & nat. ſang.* Rodio *obſ.*36.*cent.*1.& 32.*cent.*3. Nitiſche *obſer.* 132. Needam *de format. fœt.* *cap.*6. Borelli *obſ.* 25. *cent.* 1. Valdſchimidie *apud bibl.med.tom.* 2. *lib.* 6. *pag.* 412. Piens *de febr.cap.*5. Etmullero *inſt. med. pag.* 18. & Bibliæ Anatomicę Authoribus *part.*2.*de thorace pag.* 34. viſus eſt pluries è vena ſanorum, & infirmorum exire ſanguinem album, & albicantem: ſignum evidens, ſanguinem non ſemper eſſe ejuſdem coloris, ſed variari, & conſequentèr deludere obſervatorum induſtriam.

Prætereo Elmontium dicentem *ſcolas paſſ. decep. &c. pag.* 90. *num.* 17. ſanguinem denſum, & veluti aridum remanere poſt copioſum ſudorem. Prætereo

tereo Alphonsum Borelli asserentem è contrà *de mot.anim.pag.*214.nimis liquidum, & humidũ fieri post copiosam potationem: Quod etiam admonuit Vvillis *de febr.cap.*1. Et Arvæus *pag.* 141. Non tamen omitto Galenum docentẽ *de ven. sect. advers. erasistr. cap.*3. Sanguinem ex cibi defectu condensari, inspissari, & arefieri: Et ex Luca Tozzi *med.part.* 1. *pag.* 109. rubicundiorem fieri. Quæ omnia evidentèr probant, instabilem esse, ac volubilem sanguinis statum; Ac proindè non posse super ejus apparentias legem aliquam rationabilitèr fundari.

Hucusq; experimentis à Classicis Professoribus deductis; Nunc rationibus falsitatem obiectionis impugno, & veritatem meæ assertionis ostendo, scilicet, vanum omninò esse, & fallax ex sanguine inspecto judicium.

Primò arguo sic. Verum, & prudens judicium Medici circa statum infirmi fundatur in cognitione pugnæ, quam facit natura cum morbo; an ista virtute sua prævaleat, an se validè defendat,

aut

aut insultibus morbi cedat. Sed tali cognitio ab inspectione extracti sanguinis nullatenus hauriri potest. Ergo &c. Major patet authoritate Galeni *lib.* 1. *ad Glauconem cap.* 8. *Nam utrum morbus sit exitialis, an non: Et quando magis debeat mori, aut sanitati ægrotus restitui, nisi omnium, quæ diximus, quantitatem diligentius animaduertens, ad duo redegeris capita, ad ipsius scilicet morbi magnitudinem, & ægroti vires, non poteris verè prænoscere. Nam si vires adeò validæ fuerint, ut possint morbum superare, necesse est ægrotum evadere: Si verò contrà omninò morietur.* Minor probatur. Natura habet vires suas sitas in spiritibus, & per spiritus agit contrà morbum: Atqui sanguis extractus est omninò spiritu destitutus, utpotè cadaver sanguinis: Ergo cognitio virium, & actionis naturæ contrà morbum ab inspectione extracti sanguinis haberi non potest. Huic rationi adstipulatur Bonetus dicens *lib.* 3. *adnot. pract. sect.* 21. nunquam potuisse ex emisso sanguine cognoscere, & judica-

re

re de ſuperſtite in venis ægroti: quia quod mortuum eſt indicare nequit ſyſtema, & naturam viventis.

Secundò principalitèr arguo ſic. Quilibet homo habet proprium temperamentum, conſequentèr proprium ſanguinem ſic, vel ſic affectum, ſic, vel ſic conſtitutum, ſcilicèt magis, vel minus aquoſum, bilioſum, terreſtrem, viſcidum, fluidum &c. Ergò ad benè judicandum de ſanguine emiſſo, neceſſe eſſet perfectam cognitionem habere omnium temperierum cujuslibet individui, quod eſt impoſſibile: Nam, ut ait Etmullerus *de ſang. miſs. ſect.* I. *Alias enim judicium de ſanguine vena ſecta emiſſo nullum eſt: quomodo enim de emiſſò ſanguine poteſt fieri judicium, an ſit naturalitèr conſtitutus?* Probo conſequentiam. Deficiente tali cognitione, & inſpectata ſanguinis conditione, præſumens Medicus ipſum ſanguinem emendare, avertet à naturali ſtatu exigito à temperamento; Sic autem alterare temperamentum non eſt ſanare, ſed ſanita-

tem individui destruere, & inducere ægritudinem. Ergò &c. Antecedens patet ex Vephero *de Apopl. pag.* 206. Imò ex Galeno *in libr. Hipp. de fractur. com.* 2. & Hippocrate dicente *lib.* 1. *de morb. num.* 11. *Differt corpus à corpore, & ætas ab ætate, & affectio ab affectione, & tempus à tempore, in quo ægrotaverit. Et de fractur. num.* 6. *Non enim una, & eadem est omnium natura.* Sed etiam supposita exacta notitia temperamenti, nunquam pertinget medicus ad perfectam cognitionem sanguinis, quia in corpore mille modis est alterabilis, nedùm ex causis prædictis, sed etiam ad quemlibet spirituum tumultum, & perturbationem, hoc est ad omnem animi passionem. Hinc Galenus admonuit *Ars medicinal. cap.* 96. *in fine. Liquet autem, ab ipsis caveri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, invidiæ: hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus avertunt.*

Tertiò principalitèr. Sicut ex Aristotele *de generat. anim. cap.* 1. *Caro*

mor-

mortua est æquivoce caro: Ità sanguis extractus est æquivocè sanguis; non enim est sanguis, sed cadaver sanguinis, motu carens, & spiritu, nec proprietates suas ampliùs ostendere valens (ad aeris quippè aspectum statim corrumpitur) ergo de ipso, & ex ipso velle judicium ferre, stultitia est; sicut esset ex cadavere hominis priùs incogniti velle judicare, si erat homo doctus, vel rudis, vilis, vel generosus, bonæ, vel malæ indolis &c. Consequentia patet: ut enim ait Celsus *ex Thom. Bartholino anat. reform. lib.* 2. *cap.* 7. *Nihil stultius est, quam quid, qualeve homine vivo est, hoc idem existimare esse ipso moribundo, imò mortuò.* Antecedens fulcitur à magno Hippocrate *lib. de flatibus num.* 17. *Sanguis effusus in alienos sibi locos, vbi moram traxerit, putrescit.* Ergò non est dicendum, quod substantiæ illæ, quæ in sanguine extracto observantur, tales essent intrà vasa, nam extrà de novo generantur. Et quod ità sit, testem habeo, & approbatorem eundem Hippocratem. Feriatur, inquit

quæ-

quælibet pars corporis, ſanguis calidus effluet; uſquedùm erit fumans, etiam liquidus erit; Si verò frigeſcit, & condenſatur, illicò efformatur quædam ſubtilis cuticula: hæc ſi auferatur, paulò poſt alia enaſcitur: Si hæc etiam tollatur, alia denuò inſurgit: Et ità ſucceſſiuè. Ecce verba Hippocratis *lib. de carn. num.* 10. *Si quis verò hanc ſemper adimat, alia rurſus pellicula à frigido generatur.* Et quis eſt tam rudis, ut credat, ſanguinem in corpore noſtro ad modum foliorum, velaminum cæparum, ſeu laminarum contineri? Simili modo de aliis in ſanguine apparentibus ratiocinandum eſt.

Dices. Citatus Hippocrates *lib. de flatib. num.* 17. hæc habet. *Cum igitur hic fluxus conſuevit ſic manare, implentur meatus, & tranſmittunt in pectus; aeris autem cum ſit pituita, carnem penetrans exulcerat, ac perfringit venas: ex quibus ſanguis effuſus in alienos &c.* Ex quo patet Hippocratem loqui non de ſanguine per phlebotomiam extracto, ſed extravaſato in pectore in pulmonibus &c. Reſ-

Reſpondeo. Scio Hippocratem ſic loqui, & ſic validius comprobat meam rationem: Nam ſi ſanguis extrà venas, & intrà corpus putreſcit, quià cadaver eſt ſpiritu deſtitutus, & ad corpus alendum ineptus; à fortiori extrà corpus cadaver eſt, moritur enim in ipſo exitu è vena, evaneſcente per aera ſpiritu animante: Conſequentèr, ut in omninò alienum ſibi locum, putreſcit, ut ait Hippocrates.

Quartò principalitèr. Medicus (niſi ſit Propheta, vel per revelationem didicerit) neſciet diſtinguere inter ſanguinem v. g. quatuor infirmorum diverſæ ægritudinis (quos anteà ipſe viſitavit) ſi ſibi in diſtinctis vaſis offeratur, nec cujus infirmi ſit quilibet ſanguis, divinare poterit. Ergò vana eſt hæc obſervatio, & aereum judicium. Probatur antecedens. Medicus neſcit diſtinguere ſanguinem hominum à ſanguine brutorum, quod tamen facilius videtur, cum bruta ſint omninò diverſi temperamenti. Fiat experientia, deveniatur ad praxim: Impleantur ſex cyathi

thi ſimiles, unus ſanguine agni, aliu hominis, alius ſuis, alius canis, aliu equi, alius vituli: Et omnes medic deferantur contemplandi,ut diſtingua unum ab alio, & dicat, quinam eſt ſan guis agni, quinam hominis &c. Dico quod neſciet judicare, nec unum ab alio diſtinguere; Et dico, quia hoc non potuerunt Claſſici Magiſtri artis medicæ, quos non appono, ut quilibet ſi velit, tale experimentum faciat; (quod facillimum eſt, & ad manus) & ſic propria experientia convictus fateri cogatur, verùm eſſe, quod dico. Ergò eſt vanitas vanitatum velle ex viſu ſanguinis quidquam judicare, eſt error ab ignorantia vulgi proveniens, & ab imperitia, ne dicam, à ſecunda intentione profeſſorum ſuffultus.

Quintò principalitèr. Magnum eſt diſcrimen inter ſanguinem venoſum, & arterioſum intra vaſa; Ità quod Elmontius *humoriſt. paſs. decep. cap.* 2. vocat illum mortuum, iſtum animatum: Borelli *de mot. anim. prop.* 128. nominat illum torpidum, & quaſi cadaveroſum; iſtum

iſtum è contrà vivum, & ſpirituoſum. Suamerdam *tract. de reſpir. pag.* 117. Derelincurtius *exper. anat. num.* 5. & 6. Craanen *de hom. pag.* 198. Lover *tract. de cord. apud bibl. anat. pag.* 108. & Vvillis *de ſang. incaleſc. pag.* 37. aſſerunt venoſum ſanguinem eſſe turbidum, pallidiuſculum, ſubobſcurum; arterioſum verò floridum, accenſum, clarum, & vivacem. Accedit ratio; quia ſanguis arterioſus eſt corporis nutritius, in ſiniſtro cordis ventriculo perfectè coctus, & elaboratus, lumine, calore, & ſpiritu vitali præditus, quæ colorem reddunt illuſtriorem: Non ſic eſt venoſus ſanguis, utpotè reſiduus ab alitis partibus, & per venas refluus ad cor, ut ibi denuò coquatur, & arterioſus fiat: Cor ſiquidem venoſum perficit, & arterioſum conficit. Hoc ſuppoſito, arguo ſic. Sanguis arterioſus intrà vaſa differt à venoſo: Ergò ad formandum rectum judicium ſupra ſanguinem, deberent utrique ſanguines differre, & in colore, & in cæteris etiam extrà corpus; Sed ſic eſt, quod uterque ab alveo

ſuo extractus illicò colorem mutat, ne amplius inter ipſos ſenſibilis differentia percipitur, ut experimentum fecit Valæus *de motu chyli p.* 2. Ergo ex colore, aut aliis accidentibus nequit rectè judicari ſanguinis vitium. Ergò &c.

Vi rationum addo pondus authoritatis Galeni dicentis *lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. *in princip. De iis verò, quæ intrà venas ſunt excrementis nullum planè nec manifeſtum, nec evidens habemus ſignum, præter ſolam urinam.* Et idem Galenus obſervavit *in lib. Hipp. de fractur. com.* 2. aerem, prout eſt magis vel minus ſerenus, nebuloſus, humidus, ſiccus, calidus, frigidus &c. depingere ſanguinem, variis coloribus: ad quod evidentèr ſequitur, ſanguinis colores indicare non poſſe vel bonam vel ream ejuſdem ſanguinis qualitatem: nec aliud ex viſo ſanguine poſſe medicum inferre, quam peſſimè egiſſe, eripiendo violentèr naturæ meliorem ſuccum, & pretioſiorem theſaurum.

Dicunt, in fundo vaſis reſidere ſemper partem ſanguinis craſſiorem, & ob-

obſcuriorem, quæ eſt portio ejus peccaminoſa.

Reſpondeo ad meritum obiectionis. Pauſanius pictor famoſus depinxit cuidam petenti equum, præcipiti curſu ſe ferentem ad bravium, & eidem tabula inverſa picturam oſtendit. Et quid eſt hoc (ait illi admirans) quod pinxiſti? Cui pictor: non eſt aſinus, ut tibi videtur, qui in terra dorſum fricet: verte tabulam, & videbis eſſe equum velocitèr currentem ad metam. Sic & ego obiicienti. Verte vaſum, ut fundus ſurſum, orificium deorſum ſpectet, & ſtatim cognita fraude, errorem de mente depones: manus tuæ, oculi tui teſtes erunt, non eſſe ſanguinem turbidum, & obſcurum, ſed lucidum, ſerenum, & ſplendentem: videbis illicò abſque circea virga metamorphoſim, ſanguinem ſcilicet invariato ſitu variare colorem; tetrum, & obſcurum, qui erat infernè, rubeum, & lucidum fieri; & econtrà rubeum, & lucidum, qui erat ſupernè, tetrum, & obſcurum apparere. Videbis coloris opacitatem non provenire

à tartaro, vel gruma in ſanguine reſi-
dente, ſed eſſe artificium aeris, quod
putabas vitium ſanguinis. Alitèr etiam
ſi libet, experiri. Auſer è vaſe illam
ſanguinis ſuperficiem, ſeù portionem
quæ tibi benè colorata videtur: ſequens
quæ priùs fuſca, ſtatim ac aeri exponi-
tur, rutilans, & benè colorata appare-
bit, ſicuti prima. Auſer etiam iſtam:
ſequens ſimilitèr ad aeris contactum
eundem rutilum colorem induet. Sic
proſequere uſque ad fundum vaſis, &
perſpicies totum ſanguinem aeris bene-
ficio æquè coloratum. Intelliges, ſan-
guinem eſſe ſanum plurium facierum;
Protheum mille colorum, ſcenam de-
pictam, quæ manus circumgiratione
diſparet, quadrum perſpectivè, quod
ex una parte unam rem, ex alia aliam
demonſtrat. Oh quam ridiculæ ſunt
admirationes, quas Medici quidam ſu-
per ſanguinem in vitro ſpectatum face-
re conſueverunt! Ecce puerilia verba,
quæ proferunt velut oracula. *O che
ſangue nero!* Ego album nunquam vi-
di. *O egli è brutto dauvero!* Poteſtne

pul-

pulcher esse, si est exanimata putredo? *Oh come è acceso, infiammato, come è cotennoso, come è bilioso, come è fibroso, come pieno di serosità! Manco male.... l'abbiam indovinata à cavarlo, altrimenti soprastava....* Oh stupores, oh verba, oh nugæ, nescio, an dicam, simplicium, vel artes astutorum! Optimè ad propositum Michael Etmullerus *class. 1. de venæ sect. pag.* 224. *Quoties verò jam sanguis est emissus, curiosi sunt parentes, & à medico efflagitant, ut hunc inspiciat, & judicium ferat; sed coacti sic, necesse est medici ægrotos decipiant, quia non volunt habere fidem, & mundus vult decipi studio.*

Dices. Si color, & alia sanguinis accidentia fallacia sunt pro judicando morbo: Ergò propter eandem rationem neque observandus esset color, & alia in lingua, in urina, & cæteris excrementis: hoc autem est medicinam practicam subvertere, & potiora inditia, quibus regulatur, de medio tollere contrà omnes professores.

Resp. nego consequentiam, & paritatem:

tatem: Nam urina, & alia jam etia intrà corpus verè sunt excrementa eju dem naturæ, & rationis; sunt res putri dæ, emortuæ, & foras eiiciendæ: Un dè, cum univocè se habeant & intrà, extrà corpus, benè indicare possun corporis statum, & prædominantiun humorum vitium. At sanguis intrà, e extrà æquivocè se habet; in vasis enim suis vivens est, motu incessanti, & spi ritu præditus; est elixir vitæ, humor vivificus, ad hoc præcisè ex alimento à natura expressus, ut vitam conservet convertatur in substantiam aliti, & si conversus informetur ab anima. Cum autem è vena exiliens amittat illicò spi ritum, motum, & vitam, remanet pu rum sanguinis cadaver, quod loqui non potest, nec de corporis interno statu, de humorum systemate accidentibus suis medicum admonere. Quo ad colorem linguæ, & similium, concedo paritatem de lingua obtruncata, & exangui cum sanguine extracto: hæc paritas currit, & si illa indicare potest, etiam iste: sed nego de lingua viva è radicibus suis

exur-

exurgente; Ista enim indicare potest, quia viva, non autem ſanguis, quia mortuus.

Satis ergò, ſuperque oſtenſum eſt, phlebotomiam, pro ſanguinis inſpectione, fallacem eſſe, vanam futilem, & ridiculam, nec ad aliud inſervire, quam ad aucupandam vulgi ignorantis ſimplicitatem.

CAPUT QUARTUM.

Phlebotomia pro eventilando ſanguine inepta.

DIcunt, per phlebotomiam ſanguinem ventilari, vulgò *ſorare*; quatenùs ſcilicet motus ejus circularis attemperatur, tranquillatur: Et conſequentèr ſanguis ipſe à priori copia, à qua (ſecundum ventilatores) penè obruebatur, quodammodò, ut ità dicam, exoneratus refrigeratur, reſpirat, & in ſuo motu quietem capit. Hinc per diminutionem conceſſo ipſi per vaſa ampliori diſcurrendi ſpatio, faciliùs à mor-

bificis particulis, & excrementis ſecernitur; atquè ideò meliùs expurgatur, & defecatior evadit. Hæc eſt ſanguinis ventilatio.

Ut detegatur, & explodatur hæc ficta, & erronea ſuppoſitio, ratione ventilanda eſt. Quæro igitur: Per plebotomiam motus ſanguinis in corpore aut acceleratur, aut retardatur? Si primum; Ergò magis, ac magis confundetur iſte extraordinarius, & irregularis humorum motus, & conſequentèr ſanguis magis incaleſcet: Ergò non proficua, imò admodum nociva, & huic fini oppoſita erit phlebotomia. Ità diſcurrit Etmullerus *de febribus pag.* 189. *Dicunt quidam, ad hoc conducere venæ ſectionem, ut ventilletur maſſa ſanguinis, & ſupprimatur calor: ſed merum eſt effugium, cui contrariatur praxis: nam ubi eſt inſignitèr calidus ſanguis, & in vaſis coarctatur, vix ebullitioni poteſt habere ſpatium ſufficiens; Tunc ſanè, quandò aperimus venam, potiùs effervescentiam augemus, quia majus acquirit ſpatium pro ebullitione.* Hinc patet

quam

quam erroneum ſit velle ſanguiuem refrigerare, ventilare, *ſorare*, ut ajunt, per phlebotomiam.

Ulteriùs. Si hoc eſt tam ſalubre remedium, quæro: Quare ipſo non utuntur in majoribus æſtatis ardoribus, in canicula, in febribus vehementibus, quas putridas vocant? Reſpondent: quià in tali tempore expreſsè prohibetur à Galeno dicente *lib.* 11. *meth. medend.cap.*14. *Et omninò quidem non mittes in tempore æſtatis, & regione æſtuoſa, & cæli flatu calido, ac ſicco.* Quęro: Quare phlebotomia non utuntur in majori culmo febrilis ebullitionis? (tunc enim eſt evidentior, & major neceſſitas refrigerandi *ſorandi* ſanguinem) Reſpondent: quia tunc ut advertit Cornelius Celſus *lib.*2.*cap.*10. eſſet, lanceolam in ipſo infirmi gutture infigere. *In ipſo impetu idem eſſet, ac hominem jugulare*. Quęro: Quare phlebotomia non utuntur in iis, qui ignita, ardentiſſima febre laborant? Reſpondent: quia in tali ſtatu aperta vena, magis augetur febrilis calor, & vehementiores fiunt acceſſus,

cessus, ut docet Bellinus *de sang. miss. prop.* 10. Imò Etmullerus *de febrib. pag.* 189. Avicenna *lib.* 4. *cap.* 43. *fen.* 1. *tr.* 2. & alii Antiqui sub pæna mortis prohibent venæ sectionem. Optimè. Ergò tuis te rationibus convinco, tuis te armis capio, & arguo sic. Quandò major est indigentia ventilandi, rifrigerandi, *sorandi* sanguinem, ut in culmo febrilis caloris, in fervore æstatis, sub cane, & ante canem, in ardentioribus febribus; tunc à medicinæ Magistris rigorosè; & sub capitali pæna prohibetur. Ergò hæc prædicata sanguinis ventilatio, seù refrigeratio vana est, falsa est, trufatica est.

Ulteriùs. Prætendere sanguinem ventilare *sorare* hoc est velle mederi non causæ morbi, sed effectui; febrilis enim calor est purus effectus, ut docent Elmontius *de febr. cap.* 1. *num.* 18. Craanen *de hom. pag.* 230. Bontecoe apud Piens *pag.* 12. 13. Gideon Arvæus *de vanit. med. pag.* 262. Etmullerus *de febr. pag.* 187. & alii. Si ergo calor est quid merè productum; Et prudens medicus col-

collimare debet ad ſignum, ad ablationem cauſæ, qua ſublata, removetur effectus: Cur infirmi vitam mortis periculo exponere pro ſubtrahendo calore (qui tamen per phlebotomiam non ſubtrahitur, nec minuitur, ſed augetur, ut viſum eſt) ſi calor temperari poteſt remediis ſuauibus, & nullius nocumenti? Hoc certè nõ eſt obedire Hippocrati *lib. 1. de morb. pop. ſect. 2. Exerceto circa morbos duo, ut juves, aut non noceas.*

Si verò ſecundum: Ideſt ſi per phlebotomiam motus ſanguinis in vaſis retardatur (quod verius videtur, quia ſicuti ablato ſpititu ceſſat motus, ità diminuto retardatur. Et adſtipulatur Hippocrates, qui loquens de cavitatibus cordis ait *lib. de cord. nu. 5. Hi fontes ſunt, humanæ naturæ, & hæc flumina ſunt quibus totum corpus irrigatur. Et libr. de inſomniis num. 13. Flumina autem non ſolito more fluentia ſanguinis circuitum ſignificant, & auctiora quidem fluentia exceſſum, imminuta verò defectum*) minùs fieri poteſt ſomniata ventilatio. Imò debilitato impulſu, seù preſ-

pressione, qua pars sanguinis sequens præcedentem impellebat, deficiente spiritu, & superstite torpente, magis condensabitur sanguis ipse, & constipabitur, ut evenit in febribus, quas coagulativas vocant. In tali casu disiuncta sanguinis compage, interrupta humorum textura, dempta spirituum portione, periculum est, ne sanguinis retardatione ad perniciosam, & peremptoriam ejusdem fixationem, & stagnationem deveniatur. Tantùm autem abest, quòd sanguis in tali statu faciliùs ab impuritatibus se expurget, quod destitutus spiritibus, qui sunt veluti manus ejus, & instrumenta, nedùm læsivas, & morbificas materias secernere, & excutere nequit; sed etiam excrementa, quæ foris sunt, ad se advocat juxtà commune Professorum axioma. *Missio sanguinis intro vocat. loco sanguinis excrementa introducuntur in venis.* Quod est contrà Galeni doctrinam *lib.* 4. *de sanit. tuend. cap.* 6. *Nam neque qui extrà sunt rectè intro revocantur.*

Addo, quod prætensa per pleboto-
tomiam

tomiam ſanguinis ventilatione, nedùm ſanguis tranquillus non fit, ſed magis exaſperatur, ut minùs potens ad edomandos rebelles humores. Inſuper magis ſubjacet vinculis acidi, & acrimoniæ flagellis ſalinis, ac ſulphureis, quæ omnia à phlebotomia magis exaltantur, & exagitantur in damnum ſpiritus, & foventur ad turbandum ſanguiuem: Ità quod anguſtiato ſpiritu per plebotomiam non eventilatur ſanguis, ſed magis vinculatur, & innectitur; & quandoque ſpiritus ipſe ſtrangulatur.

Cauſa verò hujus prætenſæ ventilationis eſt error, quo credunt, calorem, effervefcentiam, quæ eſt merus effectus, eſſe febris eſſentiam. (quod ſi adhùc verum eſſet, non tamen per ſanguinis miſſionem temperatur, ſed magis excitatur, ut dictum eſt: Debilitatur quidem phlebotomia, & attenuatur calor innatus, qui eſt activus, & pugnat contrà morbum; ſed calor febrilis augetur) Ex hoc errore in alium proruunt, exhibendo febrienti nonniſi refrigerantia,

tia, aquas, vel coctas, vel ſtillatitias, ſorbitiunculas frigidas, vulgò *emulſioni lattate*, *ſemate*, & ſimilia, quæ infirmis non parum nocent, utpotè nullius vigoris, & potentiæ, facilis corruptionis, & gravis moleſtiæ, quibus ægri ſemper languidiores evadunt. Hac falſa opinione vinum interdicunt, ac ſi eſſet læthale venenum: Quod tamen teſte Tralliano *lib.* 7. *cap.* 16. & Paulo Egineta *lib.* 1. *cap.* 95. eſt illud verum naturæ cordiale deficientes vires reparans, innatum calorem fovens, concoctionem adjuvans, & bonum progignens ſanguinem. Hinc Galenus *in comm. ſup. lib. Hipp. de victus rat. in acut.* de vinorum varietate diſcurrens diſtinguit vina potentia, media, & debilia, quæ aquoſa vocat, non quia aqua diluta, ſed ratione qualitatis vel uvarum, vel regionum, in quibus germinant: Et ait. *Verum, ut uno verbo abſolvam, vinum dulce in acutis morbis ad expuitionem, tum propter dictas operationes, tum propter communem omnium vinorum, qua vires roborat, idoneum exiſtit, & maxi-*

mè

mè his, qui quævis humida, quæ tum in thorace, tum in pulmone continentur, expuunt. Et infrà. Ad eorum, quæ in pulmone sunt, eductionem conveniens est aquosum vinum, virtutem roborans, & humores humectans, tum madefaciens mediocritèr. Et in fine concludit. De vinis hæc loquutus Hippocrates prætermisso uno, quod aon absolvit, & ego obitèr percurram, quod scilicet febrientibus maximè ideoneum sit aquosum. Et lib. 8. de method. med. cap. 3. de febribus differens ait. Vinum verò, ipse conscius es omnibus me hujusmodi naturis concedere, sed quod tum aspectu, tum viribus sit aquosum: Id enim utilius est, quam aqua ipsa est, utpotè quod & concoctionem juvet, & urinas, & sudores provocet: Constat autem ex Hippocrate, non in diariis modò febribus, verum etiam in acutis, ex his, quæ de acutorum victu prodit vinum dari. Et lib. 14. de meth. med. rursus ait de febribus lonquens. Sanè fugere in his convenit curandis ea vina, quæ multum nutriunt, cujus generis crassa sunt: uti

verò

verò vel aquosis, idest colore albis, & substantia tenuibus, vel quibus mare admixtum est, idest aqua. Et lib.8. de compositione. medicam. cap. 7. dicit. Vinum convenientissimum est citrà inflammationem, aut erisipela, nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit: Et si intemperies ex humiditate, & frigiditate facta est, eam citrà omnem molestiam, & securè persanat. Et lib. 1. ad Glauconem cap. 9. de tertianæ exquisitæ febris curatione, hæc habet. A vino, antequam morbus concoquatur, omninò abstinendum est; At ubi concoqui cæperit, dandum est ab initio tenue, aquosum, paucum: ubi verò jam propè est, ut morbus solvatur, ampliùs est offerendum. Morbus autem tunc incipit concoqui, quandò apparet, idest in principio augmenti; Undè in principio morbi cogniti vinum exhibendum est. Hippocrates etiam *lib. 1. de vict. rat. in acut.* diversa vinorum genera enumerat, & eorum qualitates docet: Nec tamen in infirmitatibus vinum prohibet (excepto delirio, dolore

capitis

capitis vehementi, vel gravi mentis perturbatione) Imò in cujuslibet generis febre (dempta peſtilenti infrà ſeptem dies) nedùm intermittente, ſed etiam continua, ardenti, vehementi, acuta, vinum præſcribit, ſicuti & in pleuritide, & in peripneumonia, & in aliis morbis, ut patet intuenti *lib.* 2. *&* 3. *de morbis*, *libros de epidemia*, *& librum de internis affectionibus.* Accedit Avicenna, qui *in lib.* 1. *fen.* 3. *doctr.* 2. *cap.* 8. ubi tractat de regimine aquæ, & vini, varia paritèr vinorum genera diſtinguit, nec unquam in infirmitatibus vinum abſolutè vetat. Undè *lib.* 4. *fen.* 1. ubi de febribus diſſerit, ferè in omni febre vinum concedit, ſcribens *in tract.* 1. *cap.* 9. in quo de ephemera loquitur. *Deglutiat cibum infuſum in aqua, & vino, ut ſit magis penetrans. Et cap.* 12. *ſumat vinum plurimæ comeſtionis, eſt enim bonum medicamen ei. Et cap.* 18. *Et vinum ex magis conferentibus rebus eis, & ſumant in potu eum ſine timore, niſi fuerit dolor capitis. Et cap.* 24. *Et ſumant in potu vinum plurimæ comeſtionis*

ſtionis, ſi fuerint aſſueti. Et cap. 30. *Et ſi indiguerit, ut des in potu vinum, fac. Et cap.* 37. *Et vinum ſit eis plurimæ comeſtionis. Et in tract.* 2. ubi loquitur de febribus putridis, & acutis. *Cap.* 38. Et ubi loquitur de tertiana, inquit. *Et non timeas poſt declinationem eos potare vinum plurimum comeſtum: vinum enim habens caliditatem confractam per comeſtionem prodeſt eis. Et cap.* 55. loquens de febre phlegmatica. *Et vinum ſubtile confert eis cum ſubtilitate ſua, quia confortat calorem innatum, & quia provocat, & ſudare facit. Et cap.* 57. loquens de febre humorali cum ſyncope; *Et neceſſarium eſt vinum eis poſt cibum. Et cap.* 64. de cibo patientium quartanam interpolatam, inquit. *Et vinum ſit parvum, ſubtile. Et cap. ſequenti* aſſerit, vinum exhibendum. Et idem docet in febre quartana continua. *Et tract.* 3. ubi loquitur de febre ethica, ait. *Non inferatur ei violentia in cibo, & potu, & ſiti.* Accedit Meſvæ magni nominis, medicus, ſic diſcurrens *in lib. de medi-*

cinis

cinis ægritudinum membrorum nutritionis cap. de siti. Et scivisti, quod vinum benè permixtum est salubrius in siti extinguenda, quam aqua frigida, defert enim citiùs ad loca generantia sitim, portando aqueum, & magis natura contenta est potare hoc, quam illud: Et ne dubites sitientem febrili discrasia potare vinum sufficientèr permixtum propriè post degestionem aliqualem materiei, cujus color albus sit, & origo ejus montana. Tandèm, ut uno verbo concludam, omnes graviores medicinæ Authores conveniunt unanimitèr, vinum infirmis exhibendum esse. Quatuor peculiaritèr allegati, Galenus scilicet, Hippocrates, Avicenna, & Mesvæ inter graviores gravissimi, & in arte medica cõmunes Magistri uno ore vinum præscribunt: Et tamen Græci sunt, & Arabes, in quorum regionibus vina fiunt nostratibus fortiora, & validiora. Hoc non obstante, inveniuntur quidam Professores (professores, inquam, non possessores) medicinæ, qui talium Magistrorum se discipulos fatentur, & eorum præcep-

ta, ac documenta vel ignorant, vel parvipendunt: propriæ opinioni, aut pravę consuetudini tantò obstinatiùs quantò irrationabiliùs affixi omne vinum ægrotis suis, tamquam virus interdicunt. Et quid indè? Indè fit, ut natura alias vino assueta (quod ipsam maximè fovet, recreat, & reficit) à vino ad aquam translata, hoc est immediatè ab uno ad aliud extremum (cum ex Hippocrate *lib. de cibo, & potu* non sustineat repentinas mutationes) vexata morbo, & destituta suffragio, vel notabilitèr læditur, vel totalitèr deficit, non tam vi morbi, quam imperitia medici, præcipuum auxilium, quo contrà morbum roboratur ei indebitè subtrahentis. Oh quam magna miseria est in manus imperiti medici incidere! Digressus sum ad vinum, sed non sum oblitus sanguinem. Reflecto, quod si methodicus rubricis medicinæ suæ inhærens subtrahit vinum, & extrahit sanguinem, superest, ægrum non nisi lympha, & pituita repleri: Hinc diminuto innati caloris fonte, sublato ipsi

calori

calori pabulo, necesse est corpus totum frigefiat, putrescat, evadat cadaver sepulturæ tradendum.

CAPUT QUINTUM.

Phlebotomia prò sanguinis revulsione, aut derivatione frustranea.

COnsideratur etiam phlebotomia tamquam materia remedii revulsivi, quatenùs sanguinem retrorsum trahit, ne tam pręcipitantèr feratur per eam viam, in qua jam cursum accepit; sed aliò divertit.

Sed respondeo, quod non datur ista revulsio, nec phlebotomia potest retrotrahere sanguinem ad partem affectam properantem, nec ipsum cogere ad currendam aliam viam relicta priori. Videbitur hæc assertio paradoxum; sed magis revulsio ipsa visa est paradoxum Elmontio *de feb. pag.* 24. Craanen *de hom. pag.* 331. Brunoni Broen *lex. med. pag.* 96. Leonardo de Capua *rag.* 5. *pag.* 352. Lucæ Tozzi *com. in aphoris.*

riſ. Hipp. pag. 36. Etmullero *inſtit. med. pag.* 70. Baldaſchimied. *giornal. de letter. ann.* 1688. Lucæ Portio *de ſang. miſs. Scalæ phleb. damn. pag.* 210. Cnoſſelio *in conſult. apud bibl. med. lib.* 8. *pag.* 760. & aliis famoſis profeſſoribus, qui rationibus ex anatomiæ principiis deſumptis philoſophantes, verè oſtendunt revulſionis impoſſibilitatem, dicentes cum Torquato Taſſo *Canto terzo ſtrof.* 2.

Che più facil ſaria volger il corſo
Preſſo Cariddi alla volubil onda:

quam revolvere phlebotomia ſanguinis circumgirationem, & ipſum veluti equum fræno regulare pro libito. Et concludunt derivationem, & revulſionem non eſſe, niſi ludos ingenii, ænigmata, fabellas, & vanas, ridiculaſque ſuperſtitiones.

Et de facto quam debiles, & nullius ſubſiſtentiæ ſint termini iſti revulſionis, & derivationis, ſatis apparet etiam ex Antiquorum ſcriptis. Nam Hippocrates *ex* Jo. *Guinter. in anat. Pauli Eginet. lib.* 3. *cap.* 33. Galenus *ex Tho. Vvillis*

de

*de pleurit. p.*105. Oribaſius *ex Ceſalpin. de morb. thorac. cap.*7. Celſus *lib.*2.*cap.*10. Fuchſius *lib. de ſang. miſs. pag.* 16. Mena *com. in lib. de ſang. miſs. pag.*88. Fernellius *lib.* 3. *meth. med.* Foreſtus *obſ.* 32. *lib.* 16. Hildanus *obſ.* 30. *cent.*4. Riverius *prax. med. lib.* 7. *cap.* 2. Cardanus *de malo medendi uſu* 3. *cap.*29. & alii plures defendunt expreſsè derivationem contrà Arabes, Gallos, & Italos; Et volunt in inflamationibus ſecari venam lateris offenſi: Et revulſionem, ideſt ſanguinis miſſionem ab oppoſito latere dicunt eſſe evidens homicidium. E contrà Arabes, Itali, e Galli contrà Hippocratem, Galenum, & alios pugnant validis rationibus, & proclamant, eſſe lætale peccatum in arte medica exhaurire venam lateris afflicti. Medici contendunt pro derivatione, & revulſione: Interim infirmus in medio eorum languet. Andreas Veſſalius *tract. de venæ ſect. in pleur.* utramque opinionem damnans, aliam legem ſtatuit, quod ſcilicet ubicunq; ſit morbus ſivè à dextris, ſivè à ſiniſtris, ſemper aperienda

eſt vena dextri lateris. Poſſunt ne dari opiniones magis pugnantes, & ſaluti noſtræ magis contrariæ? Signum evidens, inquit Franciſcus Baconus *lib.* 1. *pag.* 298. quam debilis, quam futilis, quàm vana ſit hæc prætenſio revellendi, & derivandi ſanguinem.

Ad hoc confirmandum accedat experientia: Pro qua legatur Galenus referens *de cur. rat. per ſang. miſſ. cap.* 16. parvum, tardum, vel nullum juvamen à revulſione allatum. Legatur Hildanus dicens *cent.* 5. *obſ.* 30. quod nunquam, aut rariſſimè juvamentum expertus eſt ex ſecta vena partis illæſæ in gratiam revulſionis: Imò multotiès ex ſimplici factus eſt duplex pleuriticus dolor, occupans etiam aliam pectoris medietatem. Legatur Petrus Briſsottus enumerans *lib. de ven. ſecand. in pleurit.* in uno anno perſonas quaſi 200. in quibus reduplicata eſt inflammatio propter venæ ſectionem factam in brachio ſani lateris, gratia revulſionis.

Reflectat prudens Lector, quemlibet motum, qui per phlebotomiam in ſan-

ſanguine induci poteſt, eſſe momentaneum; quatenus ſanguis ipſe, & alii humores moventur præciſe ad occupandum in vaſis locum exeuntis, ob fugam vacui. Cæterùm motus naturalis, & continuus circulationis, quo cor omnibus partibus æqualance, & proportionalitèr ſanguinem diſtribuit, & quo per venas ad idem cor regreditur, ſuperat omnem impreſſionem motus, quæ in ſanguine per phlebotomiam fiat. Et hinc recto diſcurſu quiſque percipere poteſt revulſionem, & derivationem eſſe res aereas, imaginarias, & nullius ſubſiſtentiæ.

Quià tamen in ſolis inflammationibus ad revulſionem, velùt ad anchoram ſacram veniſecæ recurrunt, quæ ſecundum ipſos, eſt majus beneficium à phlebotomia ſperatum, & expectatum, quo operantur, ne ſanguis tanto impetu ad partem affectam decurrat: operæ pretium eſt videre priùs in ſequenti capite, quid ſit, & quomodò fiat inflammatio. Hinc evidentèr conſtabit revulſio, & derivatio, imò damnum, & pernicies ex ipſis proveniens. Sit ergò. CA-

CAPUT SEXTUM.

Phlebotomia in inflammationibus, non solum inutilis, sed perniciosa.

EX Boile *probl. physs. med.* 99. Elmontio *pleur. fur. pag.* 394. 395. & 541. Leonardo de Capua *rag.* 5. *pag.* 352. Vvillis *de pleur. pag.* 102. Deleboe *lib.* 1. *cap.* 11. Luca Tozzi *medic. pract. de pleurit.* Luca Portio *de sanguin. miss. pag.* 95. & 98. Blancardo *anat. pract. rat. pag.* 5. & 103. Malpighio *de polyp. cord. pag.* 131. Diemerbroech *anat. lib.* 2. *cap.* 8. Etmullero *de inflam. in gen. cap.* 2. Entio *demons. circul. sang. pag.* 407. Junghen *prax. med. pag.* 24. Mortono *de febr. infl. pag.* 30. & aliis: Est veritas infallibilis quod causa proxima inflammationis non est (ut idiota turba credit) sanguis accensus, inflammatus, ignitus, ità quod quodammodò ardere faciat aliquam solidam partem nostri corporis: Sed causa proxima inflammatio-

mationis, ut ſenſuum evidentia demonſtrat, eſt ſanguis lentus, quietus, ſtagnans in aliquo ſitu, viam intercipiens ſanguini fluenti, iter impediens, & remorans; Undè incraſſatur, extollitur, congeritur, & producit illa crudelia accidentia, videlicet dolores, tumores, rubores &c. quæ, cum ad intentum meum non ſpectent, omitto.

Et quod ſanguis inflammationum cauſa (ſivè alius humor ex decurrentibus cum ſanguine) talis ſit, nimirùm fixus, & immobilis in aliqua parte, oſtendo authoritate Hippocratis, qui de morbis diſcurrens, ità ſentit de inflammationibus *lib. 1. de morb. num. 23. Et quantum in ipſa carne ineſt bilis, ac pituitæ, aut in venis, quæ in ipſa carne ſunt, id magna ex parte, aut totum ſecernitur, introque compellitur ad caliditatem, carne extrinſecus condenſata: atque id ad latus affigitur, & dolorem vehementem exhibet. Et ibid. paulo infrà. Ubi verò ad latus affixa putruerint, & per ſputum rejecta fuerint, ſani fiunt, Si verò, & antiquum multum affixum*

fue-

fuerit ad latus, & aliud insuper accesserit statim pereunt. Sic in angina discurrit *lib. de locis in homine num.* 42. *Angina, quam cinanchen Græci vocant, à sanguine fit, quum sanguis in venis, quæ in collo sunt, compactus fuerit.* Sic de pulmonum inflammatione ait *lib. de internis affectionibus num.* 4. *Cum pulmo sanguinem in seipsum traxerit, aut pituitam salsam, & non rursus dimiserit, sed in ipso coacta, & compacta fuerit &c.*

Ex his satis patet, inflammationem fieri non ex sanguine æstuoso, ignem, ut ità dicam, in aliqua corporis parte accendente, sed ex sanguine torpido, grumato, obicem efformante defluenti. Et tantùm abest, quod sit calidus, & ebulliens, quòd imò congelat, & rigere facit partem illam, cui annectitur: Et hujus veritatis testem habeo Hippocratem, nec non & alios Authores, quamvis solus ipse pro omnibus valeat. Ecce verba magni Magistri *lib.* 1. *de morb. num.* 23. *Et quum riguerit, ac perfrigeratum fuerit, tum caro, quæ est*

in

in latere, tum venæ contrahuntur, ac convelluntur. Et lib. eodem num. 25. Congelatur autem latus, & quæ sunt in ipso venæ, & convellitur. Et lib. cit. num. 23. Et cum hujus in latere pars à rigore contracta fuerit, & sanguis in ipsa horruerit, ad alas, & claviculam, ac humerum consedit, & convellit, ac dolorem inducit. Et in angina (postquam hìc, & *de rat. vict. in morb. acutis nu.* 39. & *lib.* 2. *de morb. num.* 9. docuit ipsam fieri per fluxionem à capite defluentem, qua fauces humescunt, & inflantur, & sic clauditur transitus sanguini, & sistitur, & immobilis redditur) subjungit. *Cum autem frigida, & glutinosa sit, spiritus transitus obturabit, & sanguinis transitus obturans propinquas sanguinis partes congelat, ipsumque immobilem, ac stabilem facit.* Deus meus, & omnia! Si non est sanguis ardens, sed gelidus, ità quod etiam vicinas partes congelat, quarè refrigerare aquis, & uti aliis medicamentis, quæ frigida vocantur? Et si est sanguis coagulatus, cur magis ipsum frigefacere, & magis

con-

condensare refrigerantibus?

Quod autem non sit sanguis calidus, etiam ratio ipsa suadet; Siquidem sanguis per se calidus non est, ut docent Thomas Cornelius Consentinus *progymn.7.de vita* Vander Linden *melet. medic. Hip.pag.*41. Bonius *æconom.corp. animal.pag.* 4. Leonardus de Capua *ragion.*4. *pag.*299. Et etiam Cornellius Celsus dicens *lib.*4.*cap.*3. *Neque enim natura sanguinis est, ut utique caleat, sed ex his, quæ in homine sunt, is celerrimè vel calescit, vel refrigescit.* Idem docet Hippocrates, qui de corde ratiocinando, ità scripsit de sanguine *lib. de corde num.*10. *Sanguis enim non est natura calidus* (*neque enim alia aliqua aqua*) *sed calescit: multis autem videtur natura calidus esse. Et de corde sanè talia dicta sint.* Probatur etiam ratione; quia calor est quædam qualitas, affectio, passio, quomodolibet vocetur, quæ fit in nobis excitata ab agitatione dilatante, vehementi, & perturbata minimis particulis componentibus corpus illud, quod calidum dicitur; uti docent

cent Malembrancæ *tract. de sensib. pag.* 48. 180. *&* 416. Duamel *de ment. hum. lib.* 3. *pag.* 400. Roault *tract. phys. pag.* 201. *& alibi* Consentinus *de sensib. pag.* 18. Craanen *de hom. pag.* 26. Burgund *phys. tr.* 3. *pag.* 253. & alii. Ergò tunc solùm sanguis dicetur calidus, cum ejus impalpabiles particulæ agitatæ erunt, & commotæ à quadam ebullitione, vel motu intestino celeri inæquali, & dilatante. Sed sic est, quod in inflammationibus sanguinis corpuscula non sunt soluta, sejuncta, nec libera ad continuam agitationem, & transviationem, seù mutuam, & impetuosam impetitionem; Imò tales memoratæ portiunculæ pigrescunt, & factæ stupidæ quiescunt, utpotè extincto in eis calore, & sistito motu à frigore, quod ipsas remorat, & congelat, ut ablata veluti anima, cadavera remaneant. Ergò sanguis in inflammationibus non est calidus, nec calor facit inflammationes, ut ex nomine simplicibus, & rudibus significari videtur.

Dices. Hippocrates *lib.* 1. *de morb.*

num.

num. 22. vocat ſanguinem ſuperlativè calidum dicens *eſt enim pituita frigidiſſima ex natura calidiſſimus autem ſanguis.* Ergo prædicta Hippocrati adverſantur.

Reſpondeo. De facto videtur Hippocrat. in hoc textu contradicere textui à me præallegato: Ibi enim dicit, *Sanguis non eſt natura calidus*, hìc verò, *calidiſſimus autem ſanguis.* Sed meũ non eſt, nec ad rem meam attinet in hoc puncto mentem Hippocratis inveſtigare, & contradictionem ſolvere. Quidquid ſit de hoc, an ſanguis ſit natura calidus, necne? Hoc certum eſt, & hoc mihi ſufficit, quod ſanguis eſt calefactibilis, & frigefactibilis, ſuſceptiuus ſicuti caloris, ità & frigoris; Et ſicuti extrà vaſa ſua frigeſcit, & condenſatur, ità in vaſis pati poteſt hanc eclypſim, præcipuè in anguſtia arteriolarum, & venularum vi alicujus agentis extrinſeci, puta pituitæ frigidæ, cui immiſcetur, frigidæ, & largæ potionis, frigidi aeris, & venti, qui conſtipationem faciat &c. Sanguinea ergò corpuſcula,

ſivè

sivè natura calida sint, sivè non, à frigore remorantur, & sistuntur; Ut plurimium enim inflammationes fiunt tempore hyemis proptèr frigus, ut advertunt Cælius Aurelianus *acut. morb. lib.* 2. *cap.* 13. Aretæus 1. *de acut. cap.* 10. & Hippocrates dicens *lib.* 3. *aphor.* 23. *&* *lib. de carnib. num.* 4. *Frigidum quidem congelat.* Et si fiant æstate, semper ibi conjunctum est frigus, quòd sanguinem restringit, & portiunculas coagulans unit: Indè facto culmo irregulato, vel in superficie, vel in spatiolis vasorum sistitur factus inhabilis ad penetrationem, & cursum. Hippocrates *lib.* 2. *de morb. num.* 40. 41. *Pleuritis ubi corripuerit, & febris, & rigor tenet, & dolor.* *Et lib.* 3. *de morb. num.* 19. *Alia pleuritis febris tenet, & tussis, & rigor* *Et ibid. Quum pleuritis appræhenderit, hæc patitur: dolor latus, & febris, & horror tenet. Et inibi paritèr. Pleuritis à rigore, & horrore orditur.*

Quod si causa inflammationis non est frigus, erit semper aliqua causa potens unire corpus fluxile, & restringe-

re, & condenſare, quod idem eſt, & eundem effectum producit ab probandum, quòd minutiſſima ſanguinis corpuſcula in inflammationibus involuta ſunt, vinculata, & compedita; ità quod præpeditur ipſis motus neceſſarius ad producendum colorem. Si ergò frigus nocet, & eſt inflammationis principalis ratio, quomodò non nocebunt refrigerantia?

Suppoſito ergò, tamquam irrefragabili, ſanguinem inflammationis effectivum non eſſe accenſum, fervidum, vel ignitum, ut gens ſtolida credit, ſed eſſe ſanguinem coagulatum, reſtrictum, & in ſe collectum, ac in parte affecta quieſcentem, ut evidentèr oſtendit anatomes in ſectis cadaveribus, in quibus in parte, ut ajunt, inflammata inventa ſunt eadem ſanguinis incruſtamenta: Si fides Malpighio *de polip.cord.pag.*131. Entio *demonſ.circ.ſang.ſolut.*45. Vvillis *de febrib.c.*11.Etmullero *tract.de pleur. pag.*284. Blancardo *anat. pract. ration. pag.* 31. 33. viſualibus teſtibns. Arguo ſic.

Corpus

Corpus quiescens, nec habens in se principium intrinsecum motus, ex seipso moveri non potest, sed aliundè recipit motum. Ergò hìc assignari debet aliquod vallidum impellens, quod vi sua urgeat, incitet, præmat, & vincat resistentiam corporis immobilis: quod ipsum excitet, quietem turbet, motum imprimat, loco moveat, ut sic sanguini successivè fluenti via,& transitus pateat: (alias donec fixum, & immobile remanebit hoc corpus, quod sanguini decurrenti cursum impedit, semper obstinabitur morbus) Atqui phlebotomia est totalitèr opposita, imò impeditiva hujus effectus necessarii ad tollendum morbum: Ergò &c. Probatur subsumptum: quia per phlebotomiam diminuto, & debilitato sanguine, depauperato spiritibus corde, quibus validè ipsum expellebat in systole, ineptior redditur ad ultrà permeandum, & viribus caret ad impellendnm, & debellandum obstaculum. Insuper: Si sanguis de se piger est in inflammationibus, ablatis phlebotomia spiritibus, qui sunt virium suarum

cardines, pigrior evadet, & lentiori passu abibit, & magis ad quietem disponetur: Consequentèr morbus magis resistet, invalescet, & augebitur. Ergo phlebotomia, sivè revulsionis gratia fiat, sivè derivationis, inutilis est, & perniciosa.

Sed ut distinctius procedam: Aperiatur vena lateris morbo oppositi pro revulsione: Tunc tumefacto, secundum ipsos, sanguineo torrente in hac parte sectæ venæ, minor pars, & minùs expeditè decurrit in aliam partem in qua est morbi basis. Ergò sanguis hàc delatus non habebit vim, & efficaciam solvendi, & movendi particulas stagnantes, non poterit passus clausos reserare, nec viam sternere sanguini circulanti. Ergò morbus magis, ac magis vigorabitur.

Nec dicas: Quòd ad tumorem, seù inflammationem concurrat nedùm sanguis coagulatus, & consistens, sed etiam sanguis furiosè, & magno impetu effluens: Quarè per venæ sectionem ex opposito, factam, ipsum revellendo, aufertur, vel saltem minoratur morbi materia.

Ref-

Respondeo enim, quod hoc est falsum, & in medicina reprobatum: Siquidem tumor, & inflammatio fit præcisè ex sanguine consistente, & stagnante, nullatenùs verò ab effluente, & sese movente. Et quandò etiam ab isto fieret, quatenùs copiosè, & prçcipitantèr ibi decurrit, nunquam à cursu suo poterit diverti, nisi prius tollatur causa hujus præcipitis cursus; Hæc autem causa per revulsionem non tollitur: nam revulsio non potest mederi, nisi modico effectui. (qui etiam, ut dixi, imaginarius est) *Tumet pars à sanguine restagnante, non irruente: Et posito, irruere sanguinem in partem ex quacunque causa, nisi hanc causam removeas, non corriges eum motum, licèt vel centum venas in alio loco pertundas.* Ità scribit Etmullerus *de pleth. dimin. c.* 4. Cui subscribunt Leonardus de Capua *rag.* 5. Lucas Tozzi *lib.* 1. *com. in aphor.* 3. *Hipp.* Scala *phlebot. damnat. pag.* 213. Malpighius *oper. postum pag.* 243. Lucas Portius *de sanguin. miss. pag.* 100. Joannes Muyz *in chirurg. pract. rationali*, & alii. Imò si daretur iste impetus adau-

ctus ſanguinis in parte offenſa, iſte, inquam, eſſet unicum morbi remedium, quia impingeret, & perumperet grumoſum, & conſiſtentem, & viam fluenti adaperiret. Ergò prætenſa revulſio per phlebotomiam eſſet magis damnoſa per oppoſitam rationem, quià morbus perſiſteret, ut patet ex dictis.

Quid ergò? Incidet in ſcyllam cupiens vitare charybdim? Recurret ad derivationem, in affecta parte venam laxando? Minimè, nequaquam: Nam venis brachialibus evacuatis in latere dolente, illicò decurrit ſanguis plenis undis ad ipſas replendas; hinc conſequentèr minor ſanguinis portio, & minùs promptè defertur ad vaſa pleuram humectantia. Hoc patet ex anatome, & vaſorum diramatione: Hujus mihi fidem faciunt duo celeberrimi Profeſſores Vuillis *de pleurit. pag.* 106. & Higmorus *diſquiſ. anatom. lib.* 2. *part.* 2. Si ergò ſanguis lentiùs, & quietiùs parti oppreſſæ accedit, qua vi vincere poterit reſiſtentiam corporis obſtantis, & obicem diſrumpere? Imò, cum ſanguis parti affectæ

fectæ quietè accedat, absque dubio etiam ipse adhærebit, unietur, agglutinabitur ad tumoris incrementum. Imò, quià quantò plus sanguinis ab officio suo cessat, tantò magis morti ægrotus accedit ex Hippocratis doctrina *lib. 2. de morb. num. 8. Dum sanguis non movetur, fieri non potest, ut non etiam corpus quiescat, & torpeat.* Nedùm inutilis convincitur derivatio, sed regularitèr perniciosa, & fatalis.

Et ne ad evellendos hos phlebotomiæ cardines, derivationem, & revulsionem, desit vis authoritatis: Celebriores moderni Professores ità falsum autumant, sanguis missionem in inflammationibus opem ferre, quòd ipsam in omni tempore humano generi nocivam proclamant. Ità Elmontius *pleur. fur. pag.* 391. Leonardus de Capua *rag.* 5. *pag.* 352. Lucas Portiùs *de sang. miss.* Lucas Tozzi *in com. aphor. Hipp. pag.* 37. Cnoffelius *in consult. pro Reg. Polon. ap. bibl. med. lib.* 8. *pag.* 757. Scala *phleb. damn. pag.* 243. & alii. Rationes eorum non adduco: sed ut omnia uno verbo com-

plectar, ipsi concludunt, phlebotomiam nullo modo partes illas fixas, & fortitèr parti affectæ cohærentes extrahere posse: Imò exhausto sanguine, & diminuto spiritu, superstitem in vasis minùs validum reddi ad impetendum, & expellendum importunum illud obstaculum, quod sanguinis cursum remorat. Hoc autem efficaciùs, & securiùs obtinetur medicamentis activis, vivacibus, & spirituosis, ut sunt inter sudorifera sales volatiles alcalici, spiritus urinosi &c. de quibus asserunt Sylvius Deleboe *prax. medic. lib.* 1. *cap.* 40. & Etmullerus *inflam. in gener. pag.* 270. *Hinc est, quod exhibito tempestivè unico sudorifero ex salibus volatilibus, aut similibus parato sæpiùs pleuritides absq; ulla venæ sectione tutò, citò, & jocundè fuerint curatæ: id quod de omnibus inflammationibus intelligendum.* Omitto plures, & plures pleuriticos solo Laudano oppiato Elmontii, vel alio consimili ressolvente, & sudorifero optimo infrà tres, vel quattuor dies sanatos absque guttæ sanguinis effusione. In Hippocrate solo inflammationum curam

curam describente *de morb. popul. lib.* 2. 5. *&* 7. sic per transennam 96. enumeravi, in quibus nunquam phlebotomiæ meminit. Ergò &c.

Dices. Vana est consequentia, quæ deducitur ex silentio Hippocratis: non est legittima illatio; non fit mentio de hoc remedio, ergò non fuit adhibitum: arguitur enim ab authoritate negata, quę non tenet.

Respondeo. Tam languida, tam fragilis, tam misera est hæc obiectio, ut quilibet discipulus compræhendere potest, quod neque responsione digna est. Dico tamen ex abundanti. Si non est bona hæc consequentia Hippocrates non meminit phlebotomiæ, ergo ea usus non est minus concludit ista Hippocrates non meminit hujus remedii, ergo eo usus est. Heù quantam vim habet hyppocundriaca imaginatio in favorem phlebotomiæ tota occupata! Vult esse quod de facto non est, nec esse compræhendi potest! Et quis audeat dicere, Hippocratem in illarum inflammationum cura phlebotomiam præcepisse, si nunquam

quam ibi nec verbum facit? Semper verò hac imperiosa forma expressè loquitur *lib. de locis in hom. num.* 30. *Hoc modo curare oportet. lib.* 1. *de morb. nu.* 27. *Non tamen peccabit, si quis tam pleuritidem, quam peripneumoniam, ità curare aggrediatur lib.* 3. *de morb. num.* 22. *Curare verò pleuritidem hoc modo oportet. lib.* 3. *de morb. num.* 25. *Sanguineam pleuritidem sic curare oportet. lib. de loc. in homine nu.* 37. *Hunc sic curare oportet.* Si ergo hoc modo medicamenta præscribit, & etiam magis molesta, & nauseantia remedia distinctè enarrat, & nunquam phlebotomiæ meminit, cur vi corruptę imaginationis Hippocratis pręcepta alterare, ut dicat, aut fecerit quod neq; somniavit? Ergò necessariò concludendum est, ità sensisse Hippocratem, scilicèt in inflammationibus non utendum phlebotomia. Alitèr ad quid in vanum tempus conterere circa unctiones, clysteria, suppositas, & minutissima quæq; & non recensere, tamquam principale, phlebotomiam? Sed ità est, quòd quandò Hippocrates ipsam adhibuit, expressè

sè

sè dixit. Audiatur *lib.6. de morbis popul. sect.7. His ità præssis nil memorabile proderat, non ventris turbatio, non venæ sectio lib. de sterilib. num.* 19. *Mulierem juvenculam fluxus ruber infestabat, & medicamentis datis, & capite purgato, ac vena secta, nil meliùs habebat: dabam ipsi vinum album, in quo aspalathi radices efferbuerant, & fluxus sedatus est lib.2. de morb. pop. sect. 2. Sanata est veratri potione Lycia: postremum splen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores, & vena, quæ in splene erat, in cubito secabatur &c. mortua est ante partum, lib.5. de morb. pop. nu.* 111. *Eupolemus in Æniadis dolebat coxam &c. huic sanguis detractus est à malleolo, pharmacum bibit alvum deorsum purgans, & multum purgatus est, & melius quidem habebat dolores autē non remittebant, lib.7. de morb. pop. nu.*17. *Polemarchi uxori hyeme anginosæ tumor sub gutture: febris multa, vena secta est &c. mortua est, lib. cit. num.* 33. *Alemani ex renum affectionibus se recolligenti, & sanguine deorsum detracto, sursum ad epar*

con-

conversus est morbus, & ad cor, dolor vehemens, & spiritus præ dolore detinebatur. Quis ergò tam stolidus credet, tacitè subintelligi phlebotomiam, ubi Hippocrates nullam de ea facit mentionem? Et hoc modo, & cum his circumstantiis optimè concluditur etiam ab authoritate negata: Siquidem divinus senex recensendo minutatim remedia omnia usque ad ultimum in talibus curationibus adhibita, si venæ sectionem recensere omisisset, essentialitèr defecisset. Igitur non meminit, quia non adhibuit.

Dices. Sanguis niger in fine missionis à vena extillans argumentum est sejunctionis ejus, & remotionis à parte affecta. Ergò &c.

Respondeo. Hæc objectio risus, & cachinnos meretur ab etiam levitèr tinctis anatome: Velle siquidem sanguinem inflãmationem efformantem phlebotomia extrahere est velle primò occidere, posteà sanare: Sicuti Iudex ille, qui latronem priùs laqueo, deindè triremi damnavit, indè brevi dimittendum. Necesse enim est primò venam cubiti

eva-

evacuari exindè arteriam comitem, ſucceſſivè axillarem, ſubclaviam, truncum aſcendentem aortæ vſque ad cordis baſim, undè exurgit: hinc ſanguinem arteriæ venoſæ, necnon & venæ arterioſæ, & totum in pulmonum parenchymate ſerpentem, inſuper in dextro cordis ventriculo exiſtentem; demum totum illum contentum in tractu venæ cauæ uſq; ad venã azigos emergentem, quæ per ramulos ſuos in thorace expanſos ſanguinem è locis ibi affectis ad cor reportat. Et quid eſt hoc? hoc eſt dicere, quòd citiùs ſequeretur mors, quam exitus ſanguinis ſtagnantis in afflicta parte: dato etiam, quòd libera, & aperta ſit canalium via, dato, quod ſanguis non ſit coagulatus, ſed fluidus, & decurrens: quod aſſerere eſſet puerilis ſimplicitas.

Non me latet, non omnes inflãmationes à ſanguine ſolido, & conſiſtente fieri; multotiès enim proveniunt à flatu, qui ampliorem quærens locum hàc, & illàc impingit, & præmens ſanguineos tubulos claudit, ut ità dicam, oſtium ſanguini tranſeunti. In hiſce flatulentis in-
flam-

flammationibus phlebotomia regularitèr occidit infirmum. Hoc benè norunt, & concedunt etiam venisecæ, undè hìc sanguini parcunt. Hìc ergò reflecto super verba Celsi *lib. 2. cap. 6. Conjecturalem esse medicinam, rationemque conjecturæ talem esse, ut cum sæpiùs aliquando responderit, interdum tamen fallat nos.* Necnon, & Galeni *de plenit. De signis enim, quæ tractat ars medica admodum conjecturalis, & indefinita.* Si medicina, inquam fundatur in fallacibus conjecturis, quam difficilè erit medico discernere, & judicare inter qualitatem, & causam inflammationum, quæ ut plurimum simillima habent signa, ut advertunt Quercetanus *phar. restitut. cap. 7.* & Riverius *cent. 1. obs. 57*? Oculatiores, & expertiores Magistri in arte confitentur interdùm falli in cognoscendo, an sit pleurisis, necne? Zacutus Lusitanus *prax. adm. lib. 2. obs. 138. Hic pro pleuritico curatus, triduo è vita sublatus.* Dominicus Panarola *obser. 37. medicus quidam pleuritide excruciari eum asseruit, deceptus, quia aderat febris.* Bonetus

tus *ſepulchr. anat. lib.2. ſect.6. errant ergò medici, qui cum talia ſputa vident, ſtatim pronunciant, aut pleuritidem eſſe, aut peripneumoniam.* Dodoneus *apud bibl. medic. tom. 1. pag.9. Pleuritidem enim morbum eſſe falsò exiſtimabam.* Aretæus *lib. 2. cap. 3. multis ſanè dolor iſte perindè, ac ſi morbi lateralis eſſet impoſuit.* Galenus *de locis affect. lib. 5. cap. 7. Medicus quidam ſiculus pleuriticum ſe eſſe exiſtimabat, ſed falsò.* Quantò magis igitur falli poſſunt in dignoſcendo, an dolor lateris proveniat à flatu, vel non? Quam certitudinem habet, aut habere poteſt medicus, inflammationem illam non provenire à ſpiritu flatulento? Videtnè oculis? palpat manibus? Et audebit tota ſecuritate adhibere phlebotomiam, quæ in flatulenta pleuriſi eſſe ſolet remedium mortiferum, & læthale? Quandò nulla alia eſſet ratio, niſi ſola hæc, hoc ſcilicet periculum erroris, in quo non eſt correctio errori, hæc ſola, inquam, ratio deberet & medicum, & infirmum à phlebotomia deterrere.

Quan-

Quandò etiam pleurisi febris maligna copulatur, in communi sensu physicorum formali periculo mortis sanguinis missione infirmus exponitur. Quis autem ignorat malignam febrem in suis exordiis esse cognitu difficilem? (hac enim de causa maligna vocatur, quià fallit in pulsu, in urinis, & aliis, quæ sanis simillima exhibet) Ergò hac etiam de causa, ut cautè, & securè procedatur; & nihil temerè agatur, à phlebotomia abstinendum.

In cura ergò inflammationum sola medicamenta calida conveniunt, & valdè nocent ea, quæ frigida vocantur. Hinc magnus Hippocrates in inflammationibus curandis totus intentus est dissolvendo sanguini coagulato, & congesto, quod & facit medicaminibus calidis, activis, & ad promptè operandum expeditis, ut optimè sciens, hæc sola validè posse involutum solvere, induratum effringere, & conterere grumosum; Et hoc modo viam aperire, & motum facilitare fluido, & decurrenti sanguini: qui effectus nullatenùs obtineri potest reme-

diis

diis frigidis, debilibus, pigris, languidis, quæ sanguinem ipsum magis sistunt, & remorant. Ecce Hippocratis oracula *lib.2. de morb. num.27. Cæterum pleuritis, hoc est dolor lateris sivè ab initio, sivè postea calefactoriis quidem primum non alienum est tentare dissolvere. Ibid. num. 40. Huic quamdiu dolor latus tenuerit, latus calefaciendum est, lib. 3. de morb. num.22. Quum ità habuerit dolor, calefactoria adhibeto, lib. 2. de morb. num.28. Curare verò pleuritidas hoc modo oportet ut plurimum velut phrænitidem, & peripneumoniam, præterquam quod hic balneis calidis, & vino dulci utendum est, inibi num.41. Qua parte dolor maximè urget, calefactoria adhibeto, lib. de locis in hom. Et dolor sedandus est calefactoriis medicamentis, lib.2. de morb. num.54. Qua verò parte dolor constiterit, calefactoria adhibeto, ibid. num.55. Si verò dolor urgeat, calefactoria adhibeto, inibi num. 56. Ubi dolor habuerit calefactoria adhibeto.* Et plures alios textus, quos nimis prolixum esset recensere.

Quapropter verè ridiculæ sunt, sed

infirmis deplorabiles quędam curę,quas nõnulli in pleuritide exercent. Siquidem ex una parte præſcribunt callidas unctiones, panniculos calidos ad fovendam partem affectam; præſcribunt infirmo ſumere ſorbitiones, vel calidiuſculas, vel ſaltem non frigidas; præſcribunt claudi oſtia, & feneſtras, benè tegi cultricibus,& à quolibet aere frigido ſibi valdè cavere, ut vomica in pleura efformata calore matureſcat, & diſſolvatur. Uſque hùc optimè faciunt, & Hippocratis præcepta obſervant. At ex alia parte phlebotomare volunt ægrotum, & ſemel, & iterum, & etiam tertiò. Bone Deus! Quid eſt hoc? Phlebotomia eſt omnium frigidorum, & refrigerantium maximum. Ergò hoc eſt ædificare ſimul, & deſtruere: Unum facere pro naturæ bono, aliud pro naturæ malo: Ad extrà ſuſcitare calorem, ut operetur, & materiam, morbificam, & ſtagnantem concoquat, & diſſolvat: Ad intrà ipſum calorem innatum exterminare, & vim, & activitatem auferre ad ſuperandam pituitæ tenacitatem, quæ bilem, &
ſan-

sanguinem ligat in pleura, ut natura nequeat concoquere, extenuare, expellere peccantem materiam, quæ est præcisa causa morbi. Quantum sapio, quantùm capio hanc contradictoriam medendi rationem non capio: Undè nec mirum est, quòd plures, & plurimi talitèr curati pro semper curentur, nec ampliùs ægrotent, quia ad requiem æternam transmittuntur.

Dices. Hippocrates expressè ordinat in pleurisi sanguinis emissionem dicens. *Et si pleurisi unius diei spatio, vel duorum, vel trium laboraverit, venæ sectione affecto opitulandum.*

Respondeo. Istè textus habetur *in libro de hominis structura ad Perdiccam Macedonum regem.* Sed hic liber nec à Galeno, nec à Commentatoribus censetur esse Hippocratis. Cum enim opera ejus sint inter prisca monimenta, quædam injuria temporis confusa sunt, & quædam aliorum Antiquorum Hippocrati attributa; sicut etiam multa mutilata, depravata, aucta, commutata: quod verisimile est, quia in multis vide-

tur Hippocrates sibi contrarius; Et esset in hoc textu, ut patet ex prædictis.

Similitèr evenit in angina curanda, & hujusmodi inflammationibus, quandò quis non satagit, nisi mitigare, & temperare refrigerantibus suppositum calorem, & falsò creditam phlogosim: nihil enim utilitatis, imò multum damni affert ægroto, nam sanguis remoratus in offensa parte refrigerio magis sistitur, & obstinatur. Hoc ergò modo ægrum magno periculo exponunt negligentes Hippocratis documenta, qui in talibus morbis non utitur, nisi remediis calidis, activis, subtilibus, expeditis ad motum, & acutis ad penetrandum, benè callens, non esse sanguinē calentem, & ebullientem, qui partem aggravat, sed sanguinem grumosum, & coagulatum, qui ibi sistit, & quiescit. Non pigeat videre, quodnam refrigerii genus in angina prescribat Hippocrates. Qui vult, in proprio fonte legat, nimirùm *in lib.2. de morb. num. 26. tit. angina*. Ego pro communi captu in linguam vernaculam transfero. *Recipe. Una copetta, ò ventosa alle vertebre*

tebre del collo, e raso il capo, due altre doppo l'orecchio, cioè una per lato, e lasciale per molto tempo. Poi prepara un fomento così: metti in una pentola metà acqua, e metà aceto, nitro, origano, seme di astuzzo, e un popò d'oglio: turala, e fatto un foro nel coperchio, mettivi una canna, e posta così sopra le bragie, quando bolle, e gorgolia, l'infermo riceva quel fumo per la bocca, cavens, ne fauces aduurat. E di fuori s'applichi una spugna inzuppata d'acqua calda &c. Et lib. de vict. acut. num. 36. loquens de angina, hæc præscribit. *Foris autem cervicem, & maxillas farina calida in vino, & oleo coacta in tegito, & panes calidos apponito. Et ibid. Et calidos gargarismos exhibens.* Quæro modò: Si sanguis anginam efficiens ardens est, & inflammatus, ut vulgi ignorantia credit, cur magis ipsum facere suffumigiis calidis, ut Hippocrates præcipit? (hoc certè non esset mederi, sed statim suffocare, & occidere) Et si non est sanguis calidus, sed coagulatus, & gelidus, ità quod partem offensam rigere facit, ut citatus Hippo-

crates persuadere conatur, quare ipsum refrigerantibus magis infrigidare? Nonnè hoc est morbum ipsum fixare, fovere, & augere? Dicendum est igitur, ut omnis schola docet, quod sanguis ibi est coagulatus, & consistens: Consequentèr ad ipsum dissolvendum, & movendum (quod est morbum removere) adhibenda sunt remedia calida, penetrantia, & activa. Vidi ipse experimentum in quadam persona, angina laborante, cui adhibita refrigerantia nedum nihil proderant, sed potiùs morbum adaugebant, ità quod animam agebat. Adfuit (Deo sic disponente) medicus sapiens, qui hominem è mortis faucibus eripuit, & brevi sanitati restituit. Quo putas remedio? Non alio, quam spiritu vini, hoc est aquæ vitæ purioris & potentioris haustu replicato. Concludo ergò, phlebotomiam, utpotè frigidissimam, in hujus modi morbis nedùm inutilem esse, sed perniciosam, nec derivationis, nec revulsionis prætextu admittendam: Derivatio siquidem infirmum derivat ad mortem, revulsio revolvit ad sepulchrum,

chrum, & ad terram, de qua ſumptus eſt. Hæc ſint derivationis, & revulſionis beneficia: Si grata habes, deriva, & revolve, & ex utroque latere ſanguinem ſcaturientem bibe.

CAPUT SEPTIMUM.

Phlebotomia in febribus nedùm inutilis, ſed etiam damnoſa.

VErum eſt, omne illud, quod homini phyſico moleſtum eſt, infirmitatem cum Hippocrate vocari debere *lib. de flat. num.* 2. *Quidquid enim homini moleſtiam, ac triſtitiam infert, hoc morbus vocatur*. Sed etiam veriſſimum eſt, febrim reſpectu aliorum morborum, remedium potius, quam morbum dici debere ex Campanella *lib.* 7. *med. cap.* 11. *art.* 1. Mey. *in com. phyſ. cap.* 5. & Tozzi *in com. lib.* 2. *aphor. Hip. aph.* 26. Siquidem mediante febre auferuntur cauſæ, quibus homo ægrotat. Audiendus Celſus *lib.* 2.

cap. 8. *Ipſa febris* (*quod maximè mirum videri poteſt*) *ſæpè præſidium eſt, nam, & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit, & in jecinoris dolore ſuccurrit, & nervorum diſtenſionem, rigoremque* (*ſi poſtea cæpit*) *ex toto tollit &c.* Audiendus Hippocrates *lib. de judicat. num.* 12. *A convulſione alvi, diſtentione nervorum vexato febris accedens morbum ſolvit. Et lib. Coac. prænot. n.* 3. *Concuſſiones, & tetanicas diſtentiones febris accedens ſolvit. Et inibi. Convulſionem ſolvit febris ſuperveniens acuta, quæ prius non fuit. Et inibi. Hepar de repente circum circa dolentibus febris accedens dolorem ſolvit. Et lib.* 6. *de morb. pop. ſect.* 6. *A quartana correpti à magno morbo non corripiuntur: Si verò corripiantur priùs, & ſuccedat quartana liberantur. Et lib. coac. prænot. num.* 2. *Viro lippienti febre ſuperveniente ſolutio. Et lib. de morb. num.* 22. *Si quis ex ebrietate voce privetur, & ſtatim ſanè ipſum etiam febris corripiat, ſanus ſit: Si verò non corripuerit, die tertia moritur. Et lib.*

de

de judicat. num. 12. & lib. 2. de morb. num. 21. Sanum de repente invadit dolor circa caput, & statim vox intercipitur, & stertit, & os hiat, & si quis ipsum vocet, aut moveat, solum suspirat, nihil autem intelligit, & multum mingit, & mingere se non sentit: hic, si non febris ipsum corripiat, in 7. diebus moritur, si verò corripiat pleramq; sanus fit. Et lib. 2. de morb. n. 6. De repentè dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, ac sui impotens fit: hic in 7. diebus moritur, si non febris invaserit: si enim hæc invaserit sanus evadit. Et lib. de Coacis prænot. num. 3. Qui ex vulnere impotentes fiunt corpore, febre quidem accedente citrà rigorem, sanantur: non autem accedente, syderati fiunt dextrà, aut sinistra parte. Et ibid. Insyderatis ex spiritus ægra latione, sudor accedens lethale: rursùs autem in his ipsis si febris accedat, solutio fit. Et lib. de judic. n. 12. docet, volvulum, & alios morbos per febrem sanari. Quamobrem in curatione pleuritidis *lib. de loc. in hom. nu.* 30. præcipit, diecns. *Febris sedanda*

non

non est per septem dies. Imò in puerperis convulsis vult ipsam excitari *lib.* 2. *de morb pop. sect.* 5. *Si puerperis convulsio fiat febrem excitato.* Galenus etiam in quibusdam morbis, superveniente febre, sanguinis missionem prohibet illis verbis *de cur. rat. per sang. miss. cap.* 10. *Sed ubi jam febris corripuerit, ut antè monui, nequaquam mittendus sanguis.* Nec silentio prætereundum, quod Hippocrates de Alcippo memorat *lib.*4. *de morb. popul. nu.*30. *Alcippus, cum haberet hæmorridas, à curatione prohibebatur: curatus insaniit: febre acuta succedente, cessavit.* Propter has ergò, & alias authoritates, quas missas facio, credo cum Celso citato, febrem esse ut plurimùm graviorum morborum remedium. Et tritum est illud antiquum, febrem derivare à verbo, *februo*, quod expurgare, & purificare significat. Quare cum Sidenam *sect.* 1. *cap.*4. Tozzi *in com. lib.* 2. *aph. Hipp.*26. & Iponio *aph. nov. sect.*3. *aphor.* 38. Febris dici potest naturæ artificium ad noxia expellenda. Utrumque res se

ha-

habeat: deſcendo ad punctum propoſitum, & oſtendendum in hoc capite.

Itaquè Elmontius *de febr. cap.* 4. Leonardus de Capua *pag.* 5. Bontechoe *de febr.* Lucas Portius *de ſang. miſſ.* Cnofelius *in conſult. pro Reg. Polon. apud bibl. med. lib.* 8. *pag.* 757. Lucas Tozzi *in com. aph. Hipp. lib.* 1. *aphor.* 3. Scala *pag.* 186. *& alibi*. Et alii per viam plurium, & fidelium obſervationum arguentes concludunt, phlebotomiam in febribus, nedùm non eſſe opportunum remedium, ſed importunum, noxium, & damnoſum: Quippè phlebotomia ſemper, & indubitantèr vires ſubtrahuntur, & languor infirmo augetur: Sæpè impetuoſior, & ferventior inſurgit febris: Non raró ex intermittente in continuam, ex benigna in malignam degenerat. Ità docent unanimitèr præcitati Authores. Et quod febris poſt ſanguinis miſſionem vigoretur, & violentior interdum exurgat, plures ſunt obſervationes regiſtratæ à Schelameri *part.* 3. *de febr. curat.* Tulpio *obſ. med. lib.* 4. *cap.* 53. Nozet *obſ.* 1. *apud Piens*

pag.

pag. mihi 793. Etmullero *de febr. p.* 196. Vvillis *de febr. cap.* 11. *& alibi*. Qui insupèr admonet, continuum phlebotomiæ usum ad febres hominem disponere: Quod legens Kergerus (ille, inquam magnus vir, qui suprà mille febricitantes sanavit, nec guttulam quidem sanguinis ab aliquo extraxit) ipsum Vvillis repræhendit, dicens *de febr. curat. sect. 3. c. 3. Idipsum meminisse debebat, ne ipse in febribus sanguinem mitteret. Testantur ipsius observationes, & curationes febrium post venæ sectionem semper ęgros deterius habuisse, etsi initio aliquid contulisse videretur. Itaquè ego cum ejusmodi lanionibus, & sanguisugis non facio, qui vitæ thesaurum tam inutilitèr abliguriunt.*

Redeamus ad Oraculum. Hippocrates videns solam febrem valere in multis morbis ad sanandos ægrotos, dum eiicit à corpore magis noxia, & læsiva vel per urinam, vel per nares, vel per sudorem, vel per alias vias; maluit in febribus à phlebotomia abstinere, ne febrientem naturam à tam salutari inten-

ten-

tentione diſtraheret, & ne ſanguinis detractione vires imminueret, quibus conſervandis ſedulò ſtudebat, ut teſtatur Galenus in proœmio citatus. Hinc de cura cujuslibet generis febrium diſcurrens, nunquam phlebotomiæ meminit, ſed ſolis medicaminibus quæ abſque virium præjudicio ſanguinem depurant, ſemper utitur. (quod ſanè phlebotomiæ uſu ut patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis, obtineri non poteſt) Imò tam averſus fuit in febribus à venæ ſectione, quod propter febris præſentiam in aliquibus morbis phlebotomiam prohibuit, in aliis importunam judicavit, in aliis nocivam, ut ex poſitis textibus manifeſtum eſt. *In lib. 2. de morb. pop. ſect. 5. In convulſione digitorum manus, citrà febrem, venam ſecato &c. Inibi. Quicunque de repentè voce deſtituuntur, ſi ſine febre fuerint, ipſis venam ſecato &c. Ibid. Si capitis os confractum fuerit, lac, & vinum, admixta aquæ pari menſura, bibenda dato: Si verò ulcus fuerint, internas venas ſecato, ſi non febricitet &c.*

In

In lib. de Coac. prænot. num. 2. Quibus de repentè, dum sine febre sunt, præcordii, & oris ventriculi dolor, & circà crura, ac infernas partes, & alvus in tumorem, elevata est, solvit venæ sectio. Ibid. num. 3. Dolores juxtà latus in febribus tenuitèr consistentes citrà nothas venæ sectio læserit, sivè cibum aversetur æger, sivè præcordium sublimè habuerit: Et in perfrigeratione non sine febre torpidos sanguinis detractio lædit: Et putantes se meliùs habere, hi moriuntur.

Doctrinæ Hippocratis conformis fuit & praxis, quia febre etiam acuta laborantibus nunquam sanguinem detraxit; hoc est Filisco, Sileno, Erofonti, Filini, & Epicrati uxoribus, Cleonatidi, Metoni, Erasimo, Critoni, Clazomenio, Zoilo, Ermocrati, Filisto, Cherioni, Pitioni, Carito, & aliis, quos omnes enumerare tæderet. Hujus autem veritatis testem habeo Marinellum *in lib. Hipp. de febr. com. 6. & de phlebot. com.* 13. qui apud Hippocratem nec unicum locum invenire potuit, in quo de sanguinis missione in prædi-

ctis

ctis febribus mentionem fecerit: Teſtem habeo Hieronymum Cardanum *in epiſt. ad Card. Alciati*: Proſperum Martianum *in com. Covar. 79. ſect. 3. & in lib. Hipp. de nat. hum.* Troilum Lancettam *in tract. de peſte*, & alios antiquæ ſcholæ, qui clarè confitentur, Hippocratem in febribus etiam validis, & magni ardoris nunquam phlebotomia uſum fuiſſe. Itaque Hippocrati in arte medica magiſtrorum Magiſtro febris (cujuſcumque generis ſit) eſt ratio non mittendi ſanguinem: Et Hippocratis diſcipulo febris erit ratio mittendi ſanguinem? Non capio. Judicet qui judicat.

Et ut magis ad particularia deſcendam. (non eſt tamen meæ intentionis diſtinguere hìc, & enumerare ſingulas febrium ſpecies, quià & nimis longum eſſet, & puncto meo ſupervacaneum, cum præcitata Hippocratis doctrina univerſalitèr, & indifferentèr de qualibet febre concludat; ſed ſolùm de aliquibus febribus quædam ſic tranſeuntèr attingere) In febre intermittente,

quar-

quartana, Ethica, hydropica non eſt mittendus ſanguis: Sunt enim morbi ab humore extravaſato derivantes; Et quandò humores ſunt extrà venas, ut præcipuè in intermittentibus, in bona regula phlebotomiam non exigunt. Minùs in quartanis, ubi humor eſt crudus, & indiget coctione, non refrigerio. (loquor modò ſecundum ipſos &c.) In hydropicis phlebotomia eſt error deteſtabilis; peccat enim in eis humor ſeroſus, frigiditate præactivus, & fit ab epate nimis refrigerato. In Ecthicis eſt evidens homicidium; talis enim morbus eſt à defectu humiditatis, & ablata per phlebotomiam portiuncula rorida ſanguinis, qua ægrè nutriuntur, neceſſe eſt mori. Sed probo univerſalitèr, in qualibet febre nullatenùs mittendum ſanguinem.

Primò ſic. In brevi temporis periodo multum imminuitur, & expurgatur febricitantium ſanguis: Ergò non eſt ulterius imminuendum per phlebotomiam: Et ſi fiat, nonniſi cum detrimento infirmi fieri poteſt. Probatur ante-

antecedens ex Hippocrate pluribi, *lib. 1. de morb. num.* 11. *Et carnes liqueſcunt magis à malis, quam nutriantur ab ingeſtis, lib.* 4. *de morb. num.* 23. *Et totus à morboſo, qui multus eſt, elevatus, ac conſumptus à febri exhalavit, ac perſpiravit. Ibid. n.* 21. *Caleſcente ſanguine exhalat maximè per hunc humor aquoſus, qui febri eſt infeſtiſſimus, lib. 1. de morb. nu.* 14. *Conniventque venæ in corpore omnes, utpotè ſanguine ex ipſis à febre exuſto, ac reſiccato.* Et clariùs, ubi docet, ex ardentiſſima febre morientes, omnes mori præ ſiccitate, toto humido evaporato, *lib. 1. de morb. num.* 30. *Quicunque ex febre ardente moriuntur, omnes præ ſiccitate moriuntur, humiditate exucta, ac reſiccata.* Confirmatur idem antecedens ex Galeno *de curand. rat. per ſang. miſs. cap.* 14. *Febrilis calor multum ſanguinis digerit.* Ergò &c.

Secundò ſic. Cauſa febrium, & morborum ut plurimùm eſt putredo, & excrementum: Ergò phlebotomia in febribus non poteſt eſſe, niſi nociva. An-

tecedens patet: probatur consequentia ex Aristotele *Putredo est caloris interitus*. Ità quòd putredo à defectu caloris derivat, & oritur. Ergò nocivum est tollere sanguinem, qui est caloris fomes ad resistendum pravitati putredinis, ad ipsam evincendam, & ejiciendam; Et cum nihil magis calorem destruat, & naturam infrigidet, quam sanguinis diminutio, quid aliud est phlebotomare, quam putredinem morbi causã augere? Ergò intacto sanguine, putredo ipsa alterantibus, & coquentibus disposita, propriis solutivis è corpore ejicienda est. Hoc mihi videtur clamare tritum illud axioma in ore Medicorum. *In morbis, in quibus excrementa præstant causam evacuantia activa sunt eligenda*. Hæc ratio confirmatur authoritate Zacuti Lusitani *lib. 2. historiar. venæ sectio plus nocet, quam juvat, detrahendo calorem nativum, non extinguendo febrilem*. Et dicti sui inibi rationem adducit. *Sunt enim majora vitæ incommoda ex paupertate caloris nativi, quam à febrili*. Ergò &c.

Tertiò

Tertiò ſic. Nemo ignorat, ad tollendum morbum tollendam cauſam: Sed per venæ ſectionem in febribus non tollitur morbi cauſa: Ergò non tollitur morbus. Major patet, minor probatur. In vexatis ab aſcaridibus, vel aliis vermibus per venæ ſectionem non tollitur morbi cauſa: Ergò neque in febrientibus. Conſequentia patet: quià ſicut à venæ foramine non exeunt vermes, ità neque exit putredo, vel excrementum morbi cauſa. Ergò &c. Hinc optimè Oribaſius *in ſua medic. pract. Si febris à bile producitur, ad quid phlebotomatis febrientem? Contrà bilem non contrà ſanguinem pugnandum eſt.* Et ſicut de bile, ſic de pituita, vel alio humore peccante eſt diſcurrendum. *Et idem infrà. Peccat in corpore bilis, & pro ea extirpanda major effervеſcendi intra venas libertas tribuitur ſanguinem detrahendo.* Et hoc concordat Hippocrati dicenti *ſanguis frænum bilis eſt.* Sanguis ſiquidem vaſa ſua occcupans, & replens excremento ingreſſum denegat: Ipſe

humido ſuo balſamico bilis ſulphurem, & ardorem mitigat : Ipſe propria, & innata ſua dulcedine ejuſdem amarorem temperat, ità quòd ſubjugata bile, & in humili ſtatu à ſanguine detenta, ad damnum individui exaltari non poteſt. Ergò per ſanguinis detractionem auſertur bili frænum, ut eo excuſſo, interiora viſcerum, & vaſorum majori impetu invadere poſſit, magis ebullire, magis debacchari, magis ſurere, & diſpotico prædominio miſerum corpus exagitare, ac torquere. Et per conſequens neceſſe eſt, vel morbum prorogari, vel morte finiri. Undè benè docet Elmontius *cap.* 1. *Fræno cohibenda eſt bilis, non loco ſanguinis exaltanda, atque introducenda*, & optimè concludit Merclinus *de cauſis febr. putrid. num.* 109. *Liberanda igitur natura erit, non ſanguinem detrahendo, ſed putredinem per majora vaſa inferiùs educendo*. Quòd ſi quis ambigeret, an putredo evacuetur per venam, vel per aliam viam? Tota mea reſponſio eſſet, ponere ante ipſum & ſanguinem in cyatho,

tho, & stercus in lasano, ut argumentum *naso ageret*. Sicut in alio sensu loquebatur Tertullianus Marcioni *libr.2. adv. Marcion.*

Dicunt primò cum Galeno *in lib. de febribus in genere. In omni febre saluberrimum est mittere sanguinem.* Ergò &c.

Respondeo. In vanum confugiunt sub toga Galeni. Legant, studeant Galeno, & intelligent, quot exceptionibus prædictam propositionem modificet.

Primò excipit à phlebotomia febres intermittentes, in quibus ait *l.1.ad Glauconem. Malam esse sanguinis missionem.*

Secundò phlebotomiam prohibet, & perniciosam ostendit in imbecillitate virium *Clas. 2. lib. 4. num. 83. Sanguis non est mittendus, viribus existentibus imbecillibus.*

Tertiò in obstructione, & putredine inutilem demonstrat *lib.11.method.clas. 7.nu. 71. Per sanguinis missionem non curatur obstructio, neque putredo.*

Quartò à phlebotomia divites excludit *lib.* 10. *meth. Claſ.* 7. *pag.* 71. *Sanguinis miſſionem non admittant divites.*

Quintò omninò prohibet in alvi fluxu *de vict. rat. in acut. Claſ.* 7. *com.* 4. *Sanguis non eſt trahendus alvo fluente.*

Sextò nequè in febre ſynocho pueris phlebotomiam permittit 11. *meth. Claſ.* 7. *Sanguis non eſt mittendus puero, etiam in ſynocho, qui decimum quartum annum non attingit.*

Septimò in boni ſucci, & ſpirituum penuria vetat *lib.* 4. *de tuend. valetud. cap.* 4. *Si modicus ſit ſanguis bonus, reliquus verò ſucus ſit plurimus, utique in his abſtinendum eſt à detractione ſanguinis.*

Octavò pueros, & ſenes univerſalitèr à phlebotomia excludit *com.* 4. *in lib. Hip. de vict. acut. num.* 19. *Neque puer, neque ſenex ſanguinis detractionem ſuſtinet, etiamſi morbus, quo angantur, magnus ſit. Et lib.* 10. *meth. med. cap.* 6. *Sanguis puero non mittendus ante decimum*

quar-

*quartum annum. Et de cur. rat. com.*4. *Sanguis non mittendus ſenibus, nec pueris. Et de vict. rat. in acut. Claſ.* 7. *com.* 4. *ſenibus ſanguinem mittere ridiculum eſt*. Denique legatur Nicolaus Rotarius in ſuis paradoxis *ſuper ſent. Hip. Celſi, & Galeni.* Ibi videbitur, Galenum ipſum damnare ſanguinis emiſſionem etiam in illis caſibus, in quibus eam Galeniſtæ nuncupati exercent.

Tandèm (quidquid ſentiat Galenus) non diſcedo ab authoritate Hippocratis, quæ majoris eſt ponderis. Hippocrati ut viſum eſt, ſola febris præſentia eſt potiſſima ratio non mittendi ſanguinem, etiam in illis morbis, in quibus aliàs venæ ſectionem præſcribit: Si febris adeſt, phlebotomiam omninò prohibet. Ergò &c. Et notum eſt, Galenum propter phlebotomiam Romæ introductam. (licèt non ab ipſo, ut à multis, ità practicatam) Roma expulſum fuiſſe. Cognoverunt Romani, homines, qui priùs vegeti, & felici vita ſæculum, vel propè ſæculum attinge-

bant, poſt phlebotomiam à Galeno inductam, vel ægra valetudine vitam trahere, vel immatura morte vitam finire: Et videntes artem medicam non ampliùs morbos expellere, & vitam tueri: imò humanitatem exterminare, & accerſere mortem, meliùs judicarunt ſine medicis degere. Sciebant Quirites Urbis, & Orbis gubernio præſidentes, medicinam ad juvandum, non lædendum fuiſſe inventam, eamque in herbis, non in ferro conſiſtere: Undè mutatum inſpicientes, & effectum, & praxim, Galenum cum Aſſeclis exulare fecerunt.

Dicunt ſecundò. Spontanea emiſſio ſanguinis à natura facta vel per hæmorroides, vel per nares, ipſam à febre, & aliis morbis ſublevat, & ſanat, ut pluribi refert Hippocrates. Ergò ad hunc finem benè ſanguinem mittimus, quia naturam imitamur.

Reſp. Per ſpontaneam ſanguinis emiſſionem à natura factã plures ſanari, necnon & plures mori: Ut videre eſt in libris de morbis, de morbis popularibus, de prænotionibus, de Coacis prænotio-

notionibus, & alibi: Sed ex hoc nihil infertur in favorem phlebotomiæ: Undè negatur consequentia. Et ratio est, quià natura sic procedit. In principio paulatim morbum domat, meliùs domat in augmento, in statu verò, si vires suppetunt, opprimit, & in decisiva pugna tamquam oppressum superat, expellit à se liberatur, & sanatur. Ergò qui in his gradibus sanguinem mittit, nedùm naturam non sublevat, sed magis exasperat, & phlebotomia debilitatam ab evincendo morbo divertit, & succumbendi periculo exponit. Nec dicas: exemplo suo hoc me natura docet. Imò contrarium te docet, si benè advertis: Siquidem ipsa emittit sanguinem, seù sanguinis fæcem (quandò nimirùm salubritèr emittit) coctam, domitam, segregatam, & regularitèr in declinatione infirmitatis, ità quòd morbum evincens, hostē fluxu illo triumphali, & salutari crisi expellit. Tu verò phlebotomando aufers cruda, & extrà tempus, nec aliud facis, quam naturā enervare, ut vel absolutè nō possit, vel difficiliùs possit,

ſit debellare morbum. Et quòd verum ſit, patet ex eo, quod ſi fluxus ſanguinis in principio, vel augmento, vel etiam in ſtatu morbi accidat, natura debilitatur, ut nequeat deindè nec benè concoquere, nec benè ſeparare: Quarè fluxus iſte proveniens à naturæ infirmitate nocivus eſt. Hinc ſi Hippocrates ſanguinis ejectiones refert à natura factas, non propter hoc venæ ſectionem indicit, optimè ſciens, hoc eſſe naturæ intento contraire.

Dicunt tertiò: Febrem nihil aliud eſſe quam efferveſcentiam, ſeù ebullitionem extraordinariam ſanguinis: Undè ad ſedandum motum ejus vitioſum ad phlebotomiam recurrendum eſſe.

Reſpondeo. Dato falso ſuppoſito, in omnibus erratur. Non eſt verùm, febrem eſſe ſanguinis effervescentiam, hæc enim eſt febris effectus. Nam datur ebullitio ſanguinis ſine febre, ut accidit in multis, maximè juvenibus, in quibus fervor ſanguinis emittit ad cutis ſuperficiem diverſi generis puſtulas cum vehementi interno calore, anguſtiis,

stiis, deliquiis, pruriginibus per totum corpus; Et tamen cum tanta sanguinis ebullitione nulla adest febris. Econtrà datur febris absque extraordinaria sanguinis effervescentia, ut ephemera, amatoria, catharralis, symptomatica, ex illiaca passione, ex animi passionibus, ex vulneribus, in sanis timentibus vitæ periculum &c. Ergò sanguinis ebullitio febris non est. Febris ergò verè, & propriè in sua essentia aliud non est, quam generosa excitatio, pugna, ultio spiritus dimicantis contrà rebelles humores, ipsum intrà, vel extrà sanguinem invadentes. Et ratio hujus palpabilis, & sensibilissima est, quia in febris intermittentia cessat omnis impetus spiritus, cessat calor, afflictio, angustia, anxietas, verbo dicam, cessat febris, quià cessat pugna: Et cessat pugna, quià tunc temporis cessat aggressio hostiliũ humorum contrà spiritum; Undè & reversio febris, seù novus accessus non est, nisi renovatio conflictus. Et causa primaria hujus pugnæ, & ipsam consequentium, nempè caloris, anxietatis, effer-

effervescentiæ, vitiosi sanguinis motus, symptomatum &c. sunt hostes humores in campo præcipuè infimi ventris castramčtati, qui iuxtà periodos suos insurgentes, & spiritum in propria invadentes, ejus impetum provocant ad pugnandum pro sui, & individui defensione. Conflictus iste est febris, ex quo omnes supradicti effectus consequuntur. Hinc eo modo, quo hostes humores in ventre existentes sanguinis arcem obsident, & aggrediuntur, sequitur febris, vel remittens, vel non, vel sic, vel sic &c. Et sicut rector obsessæ urbis antè aggressionem anxius est, & pavidus: Ità experitur quisque in seipso priusquam evidentèr ægrotet; Nam per aliquod tempus antè aggressionem in sanguinis arce faciendam, quietem sanitatis amittit, non vescitur, non quiescit ex more, & alia patitur tædia, & vitæ incommoda futuram infirmitatem enuntiantia. Undè & Hippocrates *in lib. aphor. sect. 2. aph. 5. spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant*. Hoc posito: ad quid quæso inservit phlebotoboto-

botomia? Certè ad nihil aliud, quam ad exarmandum ſanguinem, ad mortificandas ſpiritus vires, ne aggredientibus hoſtibus reſiſtere poſſit, nec eos ſuperare. Quod phlebotomia ſedet calorem febrilem, ebullitionem, motùm ſanguinis vitioſum, falſum eſt, & erroneum credere, quod evidentèr oſtendo. Impleatur dimidium vaſis aqua ardenti, & infundatur dimidia drachma gummæ viridis raudi, vulgò (*verderame*) pulverizzatæ: ſtatim ſuſcitabitur fervens fermentatio, ſeù ebullitio, quæ paulatim creſcens occupabit ferè totius vaſis vacuitatem; Extrahendo partem aquæ ardentis, non ſedatur, nec refrænatur effervescentia, quia inexiſtente ibi excitante, ſemper proſequitur quoad uſque conſummetur. Qui vult effervescentiam ceſſare, relicta aqua ardenti, infundat aliquod præcipitans ad fundum vaſis gummam viridis raudi, v.g. oleum tartari, vel conſimile; Et tunc aqua ipſa ardens cooperabitur præcipitanti ad talem effectum, & hoſte dejecto, ceſſabit ebullitio. Sic in propo-

ſito.

fito. Non eſt extrahendus ſanguis, ut ceſſet fervor, & praus ejus motus: (ut ajunt) hoc ad intentum nihil juvat. (niſi quod valdè nocet vires naturæ ſubtrahendo) Oportet applicare ſpecifica, quæ præcipitent fermenta febrilia in ventre, & in vaſis exiſtentia: Sic proſtrato adverſario humore, & ſubſequentèr propriis remediis attenuato, & ejecto, ceſſabit pugna, febris, & fervor; fiet quies, ſalus, tranquillitas, & æger ſanabitur.

Dicunt quartò. In febricitantibus ſanguine abundantibus ſæpè ſunt pulſus parvi, humiles, depreſſi, qui indicant ſanguinem torpentem in venis, & arteriis: Quare phlebotomia ſanguis ipſe reſpirat, & pulſus extolluntur. Ergò &c.

Reſpondeo. In febricitantibus abundantia ſanguinis fingi poteſt, eſſe non poteſt, ut patet ex ſupradictis. Nec torpet ſanguis per ſuppoſitam exuberantiam; Nam plethorici ſani edentes, & bibentes non habent pulſum depreſſum, ſed ſolutum liberum, & regula-

tum:

tum: Ergò poſteà febricitantes (cum ſtante diæta, purgatione, & febre ipſa, venæ, & arteriæ ſint magis exhauſtæ,) deberent habere pulſum magis ſolutum, & liberum, quod tamen eſt falſum. Torpor ergò ſanguinis, & pulsùs depreſſio provenit ab acido, quod ſanguinem inſpiſſat, & ligat: à penuria ſpiritus, prout etiam pulſus rari, intermittentes, inæquales &c. Vel in malignis provenit à jam efformata putredine; vel in peſtiferis à venefico &c. Hæc ergò ſpecificis ſuis ſunt præcipitanda, hæ cauſæ tollendæ; Et tunc pulſus humilis exaltabitur, & tumidus attemperabitur. Phlebotomare autem eſt naturam percutere, & ſpiritum hoſti morbo ſubjugare.

Dicunt quintò. Phlebotomia ſublevat ægrotum à duplici pondere, ſanguinis ſcilicet, & malignitatis. Ergò &c.

Reſpondeo. Quo ad primum pondus, ſanguinem auferre non eſt naturam exonerare, ſed ipſam exarmare: Sanguis enim non alitèr naturæ gravi-

tat,

tat, quam plumæ avibus, cum servet in ipso spiritum, vires, & robur, ut de se patet. Quod si fingatur pondus, tunc ad sublevandum corpus, extrahendæ essent decem saltem, vel 12. libræ; Nam extrahendo tantùm aliquot uncias idem esset, ac exonerare jumentum, auferendo solum capistrum. Quò ad secundum pondus, dico: quòd tollenda quidem malignitas, sed servandus sanguis; nam per huius effusionem nihil malignitatis aufertur ab alio in vasis superstite, sicut extracta à dolio, vino mucido pleno, aliqua portione, adhùc totum remanens eodem mucore infectum est. Malignitas in natura non contractatur ad pondus, quomodo venisecæ vellent parvo pretio eam vendere vulgo ignoranti; Sed consideratur secundùm rationem virulentiæ, secundùm gradus venefici, quos obtinet, testante Apostolo 1. *Cor.* 5. 6. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. Pauca grana sublimati, arsenici, orpimenti, risagalli, & similium, viperæ morsus, rubetæ saliva sangui-

nem

nem intoxicant, & mortem afferunt; Et magnus error eſſet velle talibus phlebotomia ſuccurrere, nam cum ſanguine non extrahitur à maſſa infecta venenum. Et ità eſt in propoſito. Natura infirmata eſt, quià non habuit ſufficientes vires pro digerendis, & edomandis noxiis humoribus ante infirmitatem: hoc negari non poteſt, nec indiget probatione; Inſuper non parvam fecit virium jacturam in aſſumpta diæta, in præmiſſa ventris purgatione, pro diſſipanda hoſtium humorum obſidione: Et poteſt quis aſſerere, naturam ægram per phlebotomiam exonerari, ſublevari? Propter defectum virium infirmata eſt, & per reſiduarum ablationem ſublevabitur? Quiſnam capere poteſt hoc paradoxum? Ego dico, & verum dico, quod phlebotomia nedum natura non ſublevatur, ſed magis dejicitur, aggravatur, opprimitur, exterminatur. Oh certè ſingulare levaminis genus! Si quis ſanus, purgatione facta, ſequenti die venerem exerceat, regularitèr infirmatur: Et infir-

mus, purgato ventre, dehinc misso è vena sanguine, & in satis, & valdè satis majori copia, quam in actu venereo contingat, sublevabitur, & è lecto sanus exurget? Oh ridiculam philosophiam! Sed ità est: Ad hoc devenimus, vocare gravamen levamen, damnum auxilium perniciem salutem: dicam cum Isaja Propheta 5. 20. *Dicere malum bonum, & bonum malum*, ut opinio, & abusus charæ nimium phlebotomiæ sustineatur.

Dicunt sextò: phlebotomiam calorem febrilem, & spiritus impetum sedare, quietem, & tranquillitatem inducere; Ità ut æger post ipsam sese refrigeratum sentiat, & melius habeat. Ergò &c.

Respondeo: supradicta omnia momentanea esse, & apparentia; proveniunt enim, quià phlebotomia validas spiritus vires abstulit, qui exarmatus, & debilitatus cessat à pugna, & gemit sub jugo inimici: Ità quòd hæc hyppocrita melioratio est debilitas spiritus, non debilitas morbi, quæ absque

du-

dubio disponit ad pejus, & fortasse etiam ad mortem. Imò hæc est ratio, cur phlebotomia in putridis febribus sæpè, in malignis quasi semper lærhalis sit ob spiritus penuriam. Hinc etiam in intermittentibus, si non perniciosa, saltèm semper nociva est; Nam frequenter tertianæ simplices per phlebotomiam duplicantur, duplices in continuas, continuæ in putridas, putridæ in malignas abeunt. Quòd si hoc non accidat, febres ipsæ in sua specie prorogantur, & infirmi ut plurimùm recidivam patiuntur. Hic est ergò verus, & realis phlebotomiæ effectus, vires surripere, morbos fovere, & febres de malo in pejus præcipitare.

Dicunt septimò: Per experientiam, quæ est rerum magistra, validè probari, & satis constare phlebotomiæ juvamentum, & utilitatem. Et hìc non habet locum responsio.

Respondeo tamen, & dico. Vel dicere volunt, phlebotomiam in febribus passim practicari à Methodicis: Et hoc verum est. Atque utinam ità non esset,

quià vitæ hominum, & ſaluti meliùs conſultum eſſet. Vel dicere volunt, experientia compertum eſſe, non omnes phlebotomatos mori: Et hoc utique concedo; Alitèr... Vel dicere volunt, experientia didiciſſe, phlebotomiam in febribus utilem eſſe ad ſanitatem recuperandam. Et ad hoc reſpondeo. Plures Claſſici, & non contemnendi Profeſſores in hoc opere ſparſim citati aſſerunt, ratione, & experientia teſte, phlebotomiam in febribus nocivam eſſe. Plures etiam hoc idem mihi oretenus affirmarunt, dicentes, ſe proptèr hoc medendi methodum emendaſſe, & ægros abſque ſanguinis miſſione melius, & citiùs convaleſcere, experientia teſte. Egomet obſervavi varios febricitantes præcisè, & evidentèr propter phlebotomiam de repentè viribus deſtitutos, & brevi mortuos; & teſtes habeo Aſſiſtentes ipſos, qui ità noverunt eveniſſe, & affirmarunt. Taceo plures, & plures à febre correptos, qui nonniſi poſt longum tempus, & ultrà omnem febrium regulam convaleſcere

po-

potuerunt, passi, & primam, & secundam, & tertiam, & etiam quartam recidivam: Et hoc indubitantèr propter subtractionem virium per phlebotomiam: (sine quibus languens natura surgere non poterat, & quas recuperare non posse querebantur) ut patet ex contrario, & meliori eventu aliorum, qui phlebotomati non fuerunt. Mihi tamen, qui medicus non sum, nihil credatur. Sed Ego quibus credere debeo? Galenistis sic vocatis, an Neotericis, & Hippocraticis? Inter has contradictorias experientias quid tenendum? Dicam quod sentio. Si Galenistæ sic arguerent. Multis etiam in levi febricula detractus sanguis vel morbũ acuit, vel adauxit, vel produxit, vel eos ad requiem æternam perduxit. (& hæc est vera practica phlebotomiæ, si benè observetur). Ergò phlebotomia aut nociva, aut fatalis est: ultrò eis crederem: Sed hanc experimentalem veritatem silentio sepeliunt. Sed quandò sic arguunt. Plures phlebotomati sanantur; Ergò experimentalitèr per phleboto-

miam: nego consequentiam, & dico, quòd committunt fallaciam non causę, ut causæ. Si meliùs habuerunt, si convaluerunt, hoc evenit vel ex aliquo accidente, & combinatione causarum nobis oculta: vel quia natura adhùc valida, aut viribus suis, aut ope exhibiti apti pharmaci morbum devicit: vel ex favorabili, & benigno stellarum aspectu, ac propitia configuratione planetarum, & potissimùm Lunæ in angulis figuræ sexdecim laterum, salutem obtinuerunt. Cæterùm febrientes illi absq; sanguinis missione & citiùs convaluissen t, & meliùs vires suas recuperassent, & alia mala, quæ phlebotomia inducit, evasissent.

Dicunt octavò. (& est instantia contrà prædicta). In medicina experientiæ standum est, etiam præcisa ratione; Nam habita experientia est potissima ratio rectè medendi: Atqui ægros sublevari, & sanari præcisè per phlebotomiam nos docet experientia: Ergò &c. Probatur minor. Egri sublevantur, & sanantur experimentalitèr, nulla alia

causa interveniente; Ergò præcisè per phlebotomiam: Ergò &c.

Respondeo (omissa modò vera, reali, palpabili, & diuturna experientia, à tot Classicis Authoribus asserta, & confirmata, de damnis scilicèt, & mortibus à phlebotomia illatis; quæ, & quas Præcessores nostri obdurati in callositatem voluntarii erroris nec ad torturam confessi fuissent) Resp. directè argumento, & distinguo majorem. In medicina experientiæ standum est etiam præcisa ratione, idest non cognita ratione; concedo majorem: Idest contradicente ratione; nego majorem. Hoc est dicere, quod standum est experientiæ, etiam suprà, rationem, non verò experientiæ contrà rationem; sicut per fidem credimus revelata, suprà quidem, sed non contrà rationem; Hæc autem buccinata practica de salubritate phlebotomiæ est directè, & evidentèr rationi contradictoria: Siquidem ratio experientiæ, & experientia rationi innixa ostendit sensu, & ratione utentibus, phlebotomiam ex natura

ſua intrinſeca nocivam eſſe, & humanæ ſaluti adverſantem: Quæro enim à veniſecis. Quos hoſtes ab humano corpore abigit phlebotomia? Quem morbum edomat, & evincit? Quem ſanguinem depurat? Quem dolorem fugat? Quam obſtructionem, conſtipationem, compreſſionem, coaleſcentiam, ſubſidentiam tollit? Quod acidum, & hujuſmodi peccantes humores, aut putredinem corrigit, edomat, expellit? Quas vires naturæ ſuppeditat? Quodnam auxilium eidem præbet pro debellandis morbis? Nihil aliud realitèr, & per ſe præſtat phlebotomia, quam naturam, & robur ejus diſſipare, hoſtes humores exaltare, morbos fovere, & augificare. Undè implicat phlebotomiam ad ſanitatem conferre. (niſi fortaſſe caſualitèr, & per accidens eveniat) Nego igitur minorem argumenti; & ad probationem diſtinguo antecedens: Egri ſublevantur, & ſanantur experimentalitèr nulla alia cauſa interveniente; manifeſta, concedo; occulta, nego antecedens. Cum enim phle-

phlebotomia nequeat per se hunc salutarem effectum producere, ut probatum est, ut totum opus clamat, ut celebres Professores dictis, & praxi ostendunt; necessariò alia causa est assignanda, licet nobis ignota: Hæc autem esse potest vel benignus cæli aspectus, vel potiùs natura ipsa, quæ licèt à phlebotomia læsa, & debilitata, tamen vires suas collegit adhùc validas ad evincendum morbum, ad assequendam salutem. Hæc ergò jactata venisecarum practica vel trufatica est, vel ibi est fallacia non causæ, ut causæ. Undè quandò arguunt: Æger phlebotomatus convaluit: concedo antecedens, admitto effectum. Ergò per phlebotomiam: nego consequentiam, respuo causam; quia in talem effectum influere non potest. Et si dicunt, sanitatem à phlebotomia, ut à causa induci, & volunt, huic decantatæ experientiæ fidem adhiberi, ipsam comprobent, & in tuto se ponant, opponendo experientiam experientiæ: Unum curent cum suis specificis, absque sanguinis mis-

missione: Alium è contrà ejusdem circitèr ætatis, temperamenti, de eodem morbo cum missione sanguinis. Pluries repetant, & probent hanc diversam medendi methodum in eisdem morbis, & similibus personis. (professoribus enim non desunt occasiones hoc faciendi) Dehinc benè observata, & maturè perpensa utraque praxi, videant, & judicent (sed mente serena, nec passionibus hallucinata) quænam melior sit, & magis conferens ad infirmorum salutem: Si praxis phlebotomiæ, ipsam sequantur, & benedicti sint à Domino. Sin autem praxis opposita habet meliorem exitum in ægrotis (ut infallibilitèr credo) recedant tandem à sanguinaria sua opinione. Ne timeant per hoc proprio conceptui, & existimationi derogare, quià imò magis favebunt. Divus Augustinus scripsit libros retractationum; nec proptèr hoc magnum illud Ecclesiæ lumen aliquam censuræ umbram incurrit, sed majorem gloriæ suæ lucem adauxit. Sic, & Professores, dum hoc modo & Deum timen-

timentes, & salutis humanæ zelatores, & veritatis amicos omnibus sese ostendunt, apud omnes etiam & famam, & laudem consequentur. Bonus medicus, & timoratæ conscientiæ magis satagere debet, ut in dies proficiat, & semper melius medeatur; Nec dedignari etiam à rudioribus interdum aliquid ediscere: Sunt enim quandoque rudes, rustici, & mulierculæ callentes secreta, & facili negotio curantes morbos, quos Professores ipsi curare nequiverunt. Si ergò medicus ità fixus sit in usu, & abusu phlebotomiæ, veluti, unici, & necessarii remedii, ut ab ea discedere nolit, nec vice ejus aliud approbare, vel aliis uti experimentis, gratis decantans practicam: Ego dico, & sinè nota temeritatis dicere possum, quod tota ejus medica, & experimentalis ratio realitèr nihil aliud est, quam erronea sua opinio, & absolutum arbitrium.

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Juvenal. Sat.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Phlebotomia ſemper nociva.

UT hæc veritas manifeſtè pateat, & prudens Lector perſuaſus remaneat, neceſſe eſt verum ſanguinis conceptum in mente efformare, & quid Profeſſores de ſanguine ſentiant, benè percipere. Homo non conſtruitur, niſi ex ſanguine; fit enim ex ſanguine menſtruo, & ex ſemine, quod totum ſanguis eſt arterioſus, per vaſa deferentia ex trunco deſcendente aortæ prodeuntia (dextrum, inquam, ex trunco, ſiniſtrum verò ex emulgenti arteria) ad teſtes delatus, & inibi à fermentis dealbatus. Homo ſic conſtitutus, & in fætum efformatus non alitur, niſi ſanguine, à vena umbilicali, è centro uterinæ placentæ exurgente, ſibi ſubminiſtratus. Proditus in lucem nutritur ſanguine, per glandulas mammarum in lactem converſo. Et ſic deinceps, quamdiù vivit, ſemper nutritur ſanguine ex

cibo

cibo ſolido genito. Homo igitur fit ex ſanguine, fit à ſanguine, vivit, alitur, augetur ſanguine. Hoc, ſicut omnis novit, ità nullus negat. Ergò neque negari poteſt, in ſanguinis amiſſione naturam hominis damnificari.

Audiamus modò quid Authores de ſanguine ſentiant. Zacutus Luſitanus *pag.* 636. *ſanguis eſt naturæ theſaurus & filius ejus dilectus. Et ibid. ſanguis eſt nectar vivificum ad animalis conſervationem.* Elmotius *de ſanguine. Sanguinis beneficio ſanitas viget in uniſono.* Scala *phleb. damn. pag.* 52. *ſanguis eſt naturæ melior amicus.* Joſeph Lanzoni *animadverſ.* 58. *pag.* 255. *ſanguis itaque definitur: ſuccus rubicundus, & ex chylo ad totius corporis nutritionem, & vitalis flammæ pabulum in corde confectus.* Galenus *de anatomia vivor. cap.* 47. *litt. D. ſanguis eſt melior naturæ theſaurus.* Undè dicitur in Levitico 17. 11. *Vita omnis carnis conſiſtit in ſanguine.* Hinc D. Auguſtinus *quæſt.* 57. *ex Cornel. à lapide in levit. cap.* 17. *verſ.* 11. & 14. *Quia anima carnis in ſanguine,*

guine, non quaſi ipſe ſanguis ſit animatus, ſivè informatus anima, itaque in ſe ſit vivus, & vivat: hoc enim refutant philoſophi. Sed ſenſus eſt, quia anima, & per conſequens vita carnis, ideſt animalis maximè conſiſtit, & conſervatur in ſanguine, quaſi diſpoſitione, & vehiculo, eo quod ſanguis præ aliis humoribus calorem naturalem, & humidum radicale miniſtret, & faciat, atque ſpiritus vitales formet, & ſuggerat, ſicut enim oleum alit ignem, ità ſanguis alit vitam.

Hinc antiqui quidam Philoſophi has ſanguinis prærogativas conſiderantes, tanti eum fecerunt, ut animam ipſam hominis crederent. Nos fidei Orthoxæ lumine colluſtrati hunc errorem reſpuimus, ſanguinem ſcilicèt eſſe animam. Veruntamen poſt animam pretioſior res eſt, quam natura poſſideat. *Eſt enim*, ut loquitur Etmullerus, *Tom.*3. *ſect.*13. *fons vitæ primarius in ipſa vita, & totum hominis temperamentum.* Nec pigeat, ut legittimus ſanguinis conceptus efformetur, hujus Claſſici Doctoris doctrinam

ctrinam audire *loc. mox. cit. Ut causas pulsuum minorum, ac rariorum, adeoque viriũ imbecillitatis scrutemur, suppono, vim radicalem nostri corporis esse fundamentalitèr in sanguine: exercere verò se formalitèr per subtilissimum sanguinis substantiam, seu partem ejus summæ activam quam sanguinem appellamus, sivè spiritus dicimus instar radiosæ, & luminosæ texturæ per totum corpus, undè partium solidarum firma structura, & tonus dependet.* Idem ex Modernis Celeberrimus Author inquit *Tom. 1. pag.423. sanguis est quasi quinta essentia, seu communis spiritus.* Indè ejus usum, & finem, ad quem ordinatur, ostendens, rectè docet, quanti faciendus, quanta custodia seruandus, cum sanguis solus naturæ infortunia reparet, & hominis indigentiæ provideat. Ecce ejus sententiæ *ibid. pag.426. Primarius enim usus est, ut exaltetur in spiritum: secundarius est, ut sit aptum eorum vehiculum: Tertius usus est, ut sit caloris vitalis fomes, & succendiculum pro promovendis quibusvis actionibus:*

nibus : Quartus uſus eſt, ut ſit partium conveniens nutrimentum. Quintus denique uſus eſt, ut ſit commune gazophilacium, è quo cætera fluida integritati corporis inſervientia, elaboranda, & ſecernenda procedunt.

Ex dictis ſatis patet, quòd ſanguis eſt melior & pretioſior ſuccus corporis; res magis neceſſaria, & proficua individuo, ærarium ſpirituum, elixir vitæ, à quo bona cuncta compoſito phyſico proveniunt; Undè mirùm non eſt, naturam in modica etiam ſanguinis effuſione contriſtari. Hinc Philoſophus ſcriptum reliquit.

Omne animal triſtatur poſt coitum. Et tamen minimula ſanguinis portio in tali actione deperditur. Quod ſi homo nimio veneris uſu notabilitèr privetur ſanguine, talem languorem, & inantionem contrahit, ut benè ſemivivus evadat. Si ergò natura non aſſentitur pauculum ſanguinis etiam cum voluptate diſſipare: quomodò patietur eundem vitalem humorem ad unciarum, ad librarum quantitatem, &

cum

cum dolore, ac incommodo phlebotomia profundere? Nunquam igitùr ſine præjudicio, violentia ferri ſibi ſanguis eripitur, ut benè Sinapius oſtendit *parad. medicinal. part.* 1. *pag.* 91. Quis ergò neget phlebotomiam ſemper eſſe naturæ contumelioſam, funeſtam, nocivam? Et ſi hujus damna individuo allata ediſcere cupis nota.

Primò. Hæc adimit homini portionem illius exquiſitæ ſubſtantiæ, qua efformatus eſt, qua nutritur, qua operatur, qua vivit: alimento privat, viribus deſtituit, ſpiritibus depauperat; quod Etmullerus deteſtatur, dicens *Inſt. medic. pag.* 226. *Peſſimum eſt conſilium minuere vires ægri, quod conſulto fit in venæ ſectione.*

Secundò. Non ſolùm optimo ſucco naturam priuat, ſed etiam ad pravum recipiendum loco ejus obligat; aufert balſamum, & conſtringit vice ſua aſſumere excrementum: amicum tollit, & inimicum cogit amplexari; Siquidem vaſorum cavitatibus ſanguine exhauſtis, neceſſariò replentur ex-

crementis: clamante naturali philoſophia. *Non datur vacuum in rerum natura*. Et reſpondente medicina ipſi ſubordinata. *Miſſio ſanguinis intrò vocat. Loco ſanguinis excrementa introducuntur in venas*. Aufert ergò phlebotomia antidotum, & ſubſtituit venenum, eò perniciofius, quò & natura ipſa, & robore, & armis, ſpiritibus ſcilicet eſt deſtituta, & expoliata, quibus ipſum & retundere, & euincere poſſit.

Tertiò. Prudentiam tollit: Nam ſecundum Hippocratis oracula *lib.* 1. *de morb. n.* 28. *Sanguis, qui eſt in homine maximam partem ad prudentiam confert; quidam dicunt totum*. Ubi ſecundùm Expoſitores, nomine prudentiæ intelligit judicium, & intellectum. Ergò argumento ducto à contrario, ſanguinis miſſio prudentiam aufert. Ratio eſt, quià unà cum ſanguine evaporato ſpiritu, ad operationes ſenſuum internorum in capite neceſſariò exigito, confunduntur ſpecies impreſſæ, & deficiat, neceſſe eſt,

recti-

rectitudo discursus, & virtus discretionis. Vidi ipse virum, aliàs & viribus præditum, & prudentia pollentem ex nimia sanguinis emissione omninò infatuari, ut ab infante rationis experte non differet: Et in tali statu usque ad mortem per plures annos permansit. Visa refero, non relata.

Quartò. Tantum abest, ut phlebotomia minuat morbos (ut sanguipetæ prætendunt) quòd imò ipsos magis aggravat, & adauget. Lazarus Riverius casum affert magni doloris capitis, quem phlebotomia magis exasperavit *cent.2. observ.21. Secta vena bis, & dolor capitis, & æstus plurimum increvit, & continuus factus est.* Idem Author *cent.3.obs.40. Et dolor capitis post quatuor phlebotomias in brachijs celebratas eodem vigore perseveravit.* Thomas Vvillis Angliæ Hippocrates cuidam fæminæ dolore capitis laboranti sanguinem misit, & illicò pejoravit. *de morb. convuls. Die postero sanguinem è brachio detrahebam ad uncias sex, exindè statim sanguine misso,*

versus caput impetuosius rapto, de cæphalalgia, & vertigine plurimum conquesta est. Idem Author alium refert, qui caput dolens, ex phlebotomia in delirium actus est. *de febrib. cap.* 11. *Caput dolebat, & emisso sanguine ad uncias duodecim, vespere magis incaluit, & deliravit.* Petrus Poterius hunc etiam casum scriptis mandavit. *obser. cent.* 2. *pag.* 330. *Domina Ursina suffusionem oculorum contraxerat cum acerrimo, & acutissimo dolore: phlebotomiis, sanguisugis, cucurbitulis, frictionibus, & cauteriis repetitis, morbus semper invaluit.* Hippocrates *de Coac. prænot. n.* 3. *Dolores in febribus juxtà latus tenuitèr consistentes citrà nothas venæ sectio læserit.* Hæc pauca exempla ex Authoribus adduxi ad probationem. Cæterùm eventus omnes, in quibus missio sanguinis nihil juvat, & magis lædit, impossibile est recensere, tot enim penè sunt, quot fiunt phlebotomiæ, ut quotidiana, & diuturna docet experientia. Quòd si interdùm phlebotomia juvare videatur,

vel

vel casualitèr, & per accidens est, vel ex alio capite provenit, ut dictum est capite præcedenti, natura arcano, & ignoto nobis artificio operante.

Quintò. Phlebotomia nedùm morbos à corporibus regularitèr non propellit, sed insuper alios inducit. Nil mihi credas benignè lector: sed Classici Professores fidem tuam merentur. Audi Zacutum Lusitanum *lib*. 3. *obs*. 13. *Venæ sectio ob ebullitionem spirituum facit febres diarias, & debilitando naturam, putredinem excitat, quæ à debilitate oritur caloris innati, & alios morbos infert*. Audi Avicennam *fen*. 4. *lib*. 1. *cap*. 10. *Sanguinis missio multoties facit putrefactionem, & multoties facit febrem*. Audi Galenum. *lib*. 9. *method. cap*. 10. *Sanguinis missio producit morbos magnos*. Audi Valleriolam. *enarrat*. 2. *Missio sanguinis generat ethicam, quando celebratur in corporibus gracilibus, calidis, & siccis, quia sine utilitate vires resolvuntur, partes privantur alimento, & exsiccantur: siccitas autem non solum ca-*

liditatem acuit, ſed facit, ut caliditas tranſeat in habitum. Audi Etmullerum. *Inſtit. med. pag.* 216. *Obſervatum eſt, quod homines per venæ ſectionem cathectici, vel hydropici evaſerint*. Audi iterùm Avicennam. *tract.* 5. *cap.* 12. *Phlebotomia multa apoplexiam facit*. cui rationem ſubiungit Zacutus. *pag.* 664. *Quia reſolvendo ſanguinem, & ſpiritum, quibus ad ſui nutritionem opus habet, & ad ſuas operationes obeundas, hæc damna naturæ eveniunt*. Audi rursùs Galenum *lib.* 9. *method. cap.* 10. *Aliqui in morbos inciderunt longos, poſtquam immodica inanitione reſoluta fuit vis naturalis; Alii decolorati, & malo corporis habitu à ſanguinis miſſione vixerunt: Alii ex eo ipſo in morbos inciderunt exitiales: Alii aquam intercutem alii ortophnæam, & jecinoris, & ventriculi imbecillitatem, & apoplexiam, & deliria*. Unde Raſius ait *in lib.* 6. *aphor. in fine*. *Veriſſimum eſt eos, qui in juventute phlebotomantur, multoties paralyſim, incurrere*. Et idem Author 4. *ad Almanſor.*

14. *Nam ex frequenti phlebotomia fiunt complexionis malitia, hydrops festina senectus, tremor, apoplexia, & alia damna.* Simili modo ſcribit pariter Gallicus Apollo Ioannes Fernellius 2. *Meth. cap.* 16. Et Bonetus refert *in anat. pract. lib.* 1. *ſect.* 18. *Ruſticus capitis dolore afflictus adit Chirurgum, tonditur vas, ſed ſtatim ab eruptione ſanguinis iſte de viſus titubatione queri cæpit: perſeverante nihilominus venifeca in ſanguinis emiſſione, cæcitas integra ſucceſſit hactenus inſanabilis.* Quare admonet Zacutus Luſitanus *pag.* 664. *Ab his vacuationibus ſanguinis, niſi ſumma urgeat neceſſitas, abſtinendum eſt.* Si docet Malpighius *pag.* 239. *Valde conducit ſanguinis compagem ſervare pro vita tuenda:* putaſne, ſine detrimento effundi? Si docet Cornelius Celſus *lib.* 2. *cap.* 10. *In ipſo impetu febris ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt.* Putaſne, extrà impetum febris ſanguinem mittere ſit hominem ſublevare? Imò cæteris paribus, ſemper damnificare. Quamob-

rem etiam Hieronymus Cardanus *de malo medendi uſu lib.* 5. *cap.* 29. deteſtatur hunc malum curandi modum per ſanguinis extractionem. *Quæritur* (ait Michael Etmullerus *loc. ſuprà cit.*) *an bonum ſit evacuare ſanguinem?* Et reſpondet. *Ratio dubitandi hæc eſt, quià in ſanguine conſiſtit radix vitæ. Ergò*, concludit, *à miſſione ſanguinis deſiſtendum eſt, & ad excrementa convertendus eſt animus, quo plus enim de ſanguine imminuitur, eo magis debilitatur corpus, & de vita detrahitur.* Hoc idem affirmat Nicolaus de Lyra ex rabbi Salomone *in lib. numeri cap. ultimo. Effuſio ſanguinis etiam à caſu abbreviat vitam.*

Sextò. Ad tibi ſuadendam hanc veritatem phlebotomia ſemper nociva ad tribunal ſenſuum tuorum te advoco, & phlebotomatum ante oculos tuos propono. Cernes, exiliente è venis vitali humore, pallere, tremere, frigeſieri, frigido ſudore perfundi, animo deficere, animam quandoque in ipſo actu exhalare. Et adhùc non per-

percipis, quantum abhorreat natura ſanguinis amiſſionem? Adhùc non capis ſigna hæc voces eſſe, gemitus, ſuſpiria naturæ, de violenta ablatione potioris theſauri conquerentis? Crede ergò Etmullero *de ſang. miſs. pag.* 224. *Cum in ſanguine ſit vitæ radix, hanc ſartam tectam conſervare decet.*

Dices. Sola frigidæ aſperſione occurritur accidentibus, & deliquiis, quæ phlebotomatis evenire ſolent. Ergò non videtur naturam multum damnificari.

Reſpondeo: quòd in his caſibus aqua frigida, vel alitèr aut occurritur, aut non. Et quandò aliquo modo occurratur deliquio, non propter hoc reſtituitur naturæ ablatus ſanguis, aut ſpiritus, nec damnum incurſum reparatur. Nec credo aliquem velle incurrere deliquium, vel aliud malum, eò quòd poſſit aliquale, & ſecundum quid captare remedium.

CA-

CAPUT NONUM.

Phlebotomia ſæpè fatalis.

SÆpè ſæpiùs per phlebotomiam natura humana adeò offenditur, debilitatur, & langueſcit, quod morbi hoſtilitati haud amplius reſiſtere poteſt: Expoliata enim unà cum ſanguine vigore, & ſpiritibus in eo reſidentibus, nequit, eventilando ſanguinem, ſeparare pretioſum à vili, ſuccum bonum à fæce, nec per conſequens ad criſim aliquam ſalutarem vel per majora, vel per minora vaſa devenire. Hinc morbo aggredienti obſtare impotens, cedit, cadit, victa ſuccumbit victima morbi, præda mortis. Et ſola phlebotomia in cauſa eſt, quæ abſtulit ei arma & de manu rapuit triumphum illum, quem aliàs in ſuo robore relicta, de hoſte reportaſſet. Qui benè percepit in præcedenti capite ex Phyſicorum doctrina, quid ſit ſanguis, & quod ſanguinis munus, ultro fatebitur hanc veritatem

ritatem, & Petro Poterio subscribet. *de venæ sect. Missio sanguinis est destructio virium, interitus hominum, & vanus mos medicorum.* Et doctissimo Elmontio *de febrib. Modus medendi per sanguinis missionem est modus interficiendi.*

Testis sit Valleriola *in enarrat.* 2. *Medicus virium defectum non advertens loco refrigerantium, quæ illi necessaria erant, iterùm, atque iterum sanguinem exhausit: hoc celebrato, & sanguine, in quo calor noster perseverantiam obtinet, vacuato, magis excarnis est factus, & tabida febre arreptus nullis unquam auxiliis levari potuit, sed vitio in vitium mutato, è vita discessit.*

Testis sit Zacutus Lusitanus de quodam referens, qui ob epatis calorem, quem patiebatur sanguinem sibi extrahi petiit. Intentum obtinuit, nunquam enim imposterùm talem calorem passus est: Siquidem non solùm epate refrigeratus, sed toto corpore frigefactus sub terra reconditus est. Hæc sunt verba Authoris *prax. admirand. lib.* 3. *obs.*

obſ. 45. *At ille extracto ſanguine ſolum ob epatis ardorem ægrum exhauſit, qui reſolutis viribus extinctus eſt.*

Teſtis iterum Zacutus *loc. mox. cit. obſ.* 55. *exorta inter duos medicos lite, junior ſenem ſeptuagenarium cæphalalgia laborantem, phlebotomia curandum eſſe alta voce clamabat pulſui magno, & inflatis venis animum adhibens. Senior pulſum flatu plenum, & ſic fallacem eſſe prædicabat. At aſtantes junioris eloquentia forſitan ducti conſentiunt: aperta vena, juniore medico pulſum tangente, cum aliquantulum ſanguinis emanaſſet, in ipſo venæ ſectionis actu æger ipſe animo deficiens emoritur. At medicus fuſtibus, & ſtimulis agitatus pudibundus è domo diſceſſit.*

Idem Author *loc. cit. Invaſit ægrum acceſſio cum rigore tertianario, & ob motum fervorem ebulliente humore, magiſque liquato, in augmento ità increvit febris, ut ipſe exuri videretur, cum lingua ſcabra, & ſiti intenſiſſima oppreſſus. Convocatus medicus, ad ventilandum corpus, ſanguinem exhaurit:*

hoc extracto, calor innatus, qui erat ad partes internas expansus, cum in trunco corporis esset exiguus, accedente phlebotomia; pusillior factus est, & ex toto extinctus; Et sic miser difficili respiratione arreptus cum extremorum frigiditate, à febri, & siti perpetuò liberatus è mundo discessit.

Idem Author *loc. cit. obs. 57. pag.* 109. *Vides quomodò in debilitate vitanda sit phlebotomia. Hoc non advertit tyrannus quidam medicus, qui ægro extenuato, & debili contrà aliorum votum, furtim sanguinem exhauriens, illum interfecit; Nam post horas duas immunis à febre, exhausto calido, è vivis sublatus est. Ergò* (infrà concludit, & exclamat zelo ductus Lusitanus) *Ergo deseratur nefandus mos homines necandi per sanguinis emissionem.*

Galenus refert, se vidisse duos infirmos mori in actu ipso missionis sanguinis *lib.* 9. *de meth. med. cap.* 10. *Duos namque vidi perire in ipsis medicorum manibus, qui postquam animo linquerentur, nunquam revixerunt.* Et sequitur.

tur. *Multi verò, & si non protinus, & postea propter virtutis infirmitatem perierunt.* Idem Galenus aliis mortem ex phlebotomia evenisse memorat, dicens *de curand. ration. per sang. miss. cap.* 12. *Quod sanè tribus evenisse medicis novi: venam secabat medicus unus mulieri febricitanti, aliorum uterque viro, sed eam duxere ad animi deliquium, ut vires cum recuperari non possent mors evenit.*

Hippocrates *de coac. prænot. num.* 3. *In perfrigeratione non sine febre torpidos sanguinis detractio lædit, & putantes se melius habere, hi moriuntur. Et lib. 7. de morb. pop. num.* 54. *Halicarnascentis aurem hyme dolebat, & caput non mediocritèr: vena secta est juxtà mnesimacum, læsum est caput, evacuatum, ac perfrigeratum: phraniticus factus est, & mortuus.*

Hos fatales eventus ex citatis Authoribus retuli. Verùm si omnes, quos ego tantùm certo scio phlebotomia extinctos, recensere vellem, non breviter me expedirem: Visitando enim

infir-

infirmos ex charitatis officio, observavi, vidi, comperi, quamplures præcisè per sanguinis missionem pejorasse, & periisse. Omnis ferè persona, cum qua de hac materia loquutus sum, vel unum, vel plures casus mihi enarravit de infirmis, qui evidentèr pro sanguinis detractione mortui sunt. Medici ipsi sanguipetæ, si verum fateri voluerint, & dare gloriam Deo, capillos manibus apprehendent, & clamabunt: Tot, tot, tot, hoc est absque numero lanceola occidit.

Ex quatuor autem capitibus phlebotomia potissimùm fatalis evadit. Primum est species, & qualitas morbi, à quo invasa natura indiget potiùs, robur, spiritum, calorem innatum sibi adaugeri ad evincendum morbum: quarè, vice versa, his omnibus sibi phlebotomia diminutis, languida, & inermis effecta necessariò succumbit.

Secundum est imbeccillitas virium in infirmo, quam Galenus inculcat attentè observandam à Medico, & tunc sanguinis missionem districtè prohibet,

bet, & si emittatur, mors eveniet.

Tertium est peculiaris quidam sanguinis status, seù constitutio, seù textura (quam tamen Medicus cognoscere nequit, ut patebit capite sequenti:) quia tunc paritèr venæ sectio nedùm infirmis, sed etiam sanis mortalis evadit.

Quartum est conspiratio astrorum. Hinc si medicus non novit signa, situs, ascensus, aspectus, configurationes, vim, & influxum Lunæ, & aliorum planetarum (*habent enim actionem dispositivam in remittendo, & intendendo qualitates, & hujusmodi, ut docet Scotus* 2. *d.* 14. 9. 3. *in respons. ad* 2. *princip.*) multoties mittens sanguinem metit, & vitam. Væ tamèn, væ infirmis in manus Medici imperiti, & astronomiæ ignari incidentibus; quià medicamentis importunè exhibitis (&, quod pejus est, in non propria constellatione sanguine detracto) vires subtrahens, & morbum morbo adaugens, exemplaritèr quidem, sed miserabilitèr vitam ipsis eripiet. Audiatur Doctor subtilis *loc. cit. Est conveniens, & neces-*

necessarium quod bonus Medicus habeat scientiam astronomiæ: possunt enim propinare aliquo tempore medicinam, quæ interficit, quæ tamen alio tempore liberaret. Cæcus Asculanus *in spheram Joannis de Sacro Bosco. Volentes ad medicinalem scientiam devenire, oportet, ut in astrorum scientia eorum elevent intellectum.* Bartholomæus Vespuccius. *Medici sine astrologiæ cognitione, sanguinis minutionem, aut pharmaca ægris quo pacto, non nisi cum periculo, administrabunt?* Hipparcus *de vinculo spiritus. Medicus sine astrologia est quasi oculus, qui non est in potentia ad operationem.* Albumazar *in introductorio suo maiori. Astrorum scientia est principium medicinæ.* Hippocrates *de aere, & aqua, & regione. Si ex altissimis consideraveris, invenies astrologiam non esse minimam partem medicinæ. Et de stellarum aspectibus versus Lunam. Medicus, si non est in scientia stellarum perspicuus, quis in ejus manibus non confidat, quid cæcus non immeritò poterit definiri.*

Clamabat ad Dominum de terra ſanguis Abel innocentèr effuſi. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Geneſ.* 4. 10. Sed, heù, quantus clamor, ſi audirentur de ſepulchris voces ſanguinis à veniſecis effuſi!

CAPVT DECIMVM.

Phlebotomia pluribus rationibus ex Hippocratis doctrina exploditur.

HIppocrates *lib. de affectionibus n.* 1. *Virum prudentem (ratione apud ſe inita) (quod maximi pretii res eſt hominibus ſanitas) noſſe convenit, quomodo ex ſua ipſius intelligentia in morbis utilitatem capiat. Noſſe autem convenit ea, quæ à medicis, & dicuntur, & adhibentur corpori ſuo, eaque diudicare poſſe.* Talis fuit Ariſtoteles, qui cuidam medico plura remedia ſibi præſcribenti, nec cauſam exprimenti, dixit. *Ne me cures ut bubuleum*, & dignis increpationibus à ſe rejecit. Idem Hippocrates *lib.* 4. *de morb. num.* 32. *Neceſſe eſt ad opiniones fortiter inhærentes multa argumenta adducere, ſi quis velit auditorem à priori ſen-*

ſententia abducere, ac convertere, ut ſuis verbis fidem habeat. Quapropter præter peculiares rationes ſparſim per capita adductas, quæ phlebotomiam impugnant, has etiam contrà ipſam ut ſic in hoc capite adjungere cenſui.

Prima ratio. Quæro à ſanguipetis. Vel ſciunt quid ſit ſanguis, vel nõ? Si ſciunt: quænam barbaries iſta eſt, tàm facili negotio ipſum extrahere, & non cognita prius, ac benè perpenſa præciſa neceſſitate (ſi tamen datur) pretioſiorem naturæ theſaurũ violento ferro eripere? Nec mihi producant plethoram ventilationem, revulſionem, derivationem &c. Iſti enim ſunt termini ab humaniſtis inventi, compoſiti, aerei, benè ſonantes, ſed nihil cõcludentes, ut abundè in ſuperioribus oſtenſum eſt. Si verò neſciunt quid ſit ſanguis: horrendum ſcellus eſt ipſum effundere: Nam idem eſt, ac ſi judex incognita cauſa ſententiam proferret, & condemnaret.

Secunda ratio. Nullum efficacius remedium eſt contrà morbos, quam evitare omne id, quod poteſt ægro vires imi-

minuere: Atqui nihil magis vires imminuit, quam phlebotomia: Ergò hæc super omnia eſt evitanda. Probatur major ex facto Hippocratis, & dicto Galeni *com.2. in aphor. Hippl. aphor.16. Ubique Hippocrates magnopere ſtudet ſervare fortẽ eam, quæ regit animalia potentiam.* Cõfirmatur ratione,& authoritate Aræteì 2. *de auct. cap.3. Quandocunq; natura vigoroſa eſt, omnia ſuperat, & hominẽ à gravibus morbis ſubtrahens ſaluti ſuæ ræſtituit: vice verſa, natura debili, & languida exiſtente, morbus magis progreditur, & curam negligit, ut docet Hippocrates de vict. acut. num.36. Debili verò evadente corpore, morbus invaleſcit: Cum autem morbus corpori prævaluerit, tale jam incurabiliter affectum eſt.* Minorem probant phlebotomati, qui vel tardè, vel difficultèr, vel raro, vel nunquam vires ſuas redimunt, & ad priſtinum ſalutis ſtatum redeunt. Ergò &c.

Tertia ratio. Hippocrates ait *lib.1. de Diæt. num.16. Medicina id, quod moleſtat, tollit, & id, à quo homo ægrotat, auferens, ſanum facit.* Sed phlebo-

botomia id quod moleſtat, non tollit, nec id, à quo homo ægrotat, aufert (imò aufert id, quod naturam adjuvat, & à quo homo ſanus fit, ut patet ex dictis). Ergo &c. Minor oſtenſa eſt in capite primo, quia natura non peccat in producenda nimia ſanguinis quantitate, quæ corpori moleſta ſit, & phlebotomia imminuenda: Et etiam in capite ſecundo, quià vitioſa qualitas ſanguinis non corrigitur phlebotomia: Nec ſanguis ut ſanguis reduplicativè, cum ſit principale naturæ conſtitutivum, & conſervativum, in quo (loquendo de cauſis ſecundis) *vivimus, movemur, & ſumus. Act.* 17. 28. nullatenùs eſſe poteſt ejuſdem deſtructivum, aut læſivum. Undè benè advertit Daniel ſennerti *lib.*6. *pract.*4. *cap.*10. *Ecquidem per ſanguinis miſſionem cauſa morbi propriè, & proximè non tollitur.* Nam vera cauſa morborum ſunt excrementa, quæ tumultuantur in corpore, & alterant naturæ æconomiam, vel quia remorata, vel quià exaltata, vel quià ſanguini ipſi com-

mixta: quandocunq; enim excrementa, quibus natura ſe exonerare ſatagit, in corpore moram trahunt, & ſiuè ſenſibilia per vaſa, ſivè inſenſibilia per perſpirationem non excemuntur ſtatim homo ægrotat. Nemo verò ægrotat, quià è vena ſecta non emiſit ſanguinem; Imò qui nunquam phlebotomatus eſt ſanior erit, robuſtior, vegetior, & diuturnioris vitæ.

Quarta ratio. Ille Medicus ritè, & legittimè curat morbum, qui ſedulò incumbit cognoſcendæ, & auferendæ cauſæ morbi: Sed ſanguis non eſt cauſa morbi. Ergò &c. Major non videtur pati poſſe difficultatem. Minor probatur ex Hippocrate pluribi *lib.* 1. *de morb. num.* 2. *Morbi quidem igitur univerſi fiunt ex his quidem, quæ in corpore inſunt, tum à bile, tum à pituita. Et lib. de affectionibus num.* 1. *Morbi omnes hominibus à bile, ac pituita fiunt: bilis autem, & pituita morbos exhibent, cum in corpore nimium, aut reſiccantur, aut humectantur, aut incaleſcunt, aut frigeſiunt:*

pa-

patiuntur autem hæc pituita, & bilis, & à cibis, & à potibus, & à laboribus, & à vulneribus, & olfactu, & auditu, & visu, & coitu, & à calido, & à frigido. Et infrà. Universi igitur morbi hominibus ex his fiunt. Et lib. eodem de affect. num. 36. Quum ad ægrotum deveneris, interrogare oportet, quæ patitur, & ex qua causa, & quot jam diebus, & an venter secedat, & quo victu utitur; Et primùm considerare, an morbus à bile, aut pituita factus sit, aut utrisque: ET HOC PROBE NOSSE CONVENIT (Nota quæsò mi venifeca, & reflectè) *QVOD NECESSE EST, UT AB ALTERO HORUM, AVT UTRISQUE FIAT.*

In his authoritatibus magnus medicinæ Princeps nullam prorsùs facit sanguinis mentionem : Imò absolutè docet, morbos omnes, morbos universos fieri vel à bile, vel à pituita : Imò necesse esse, ut ab altero horum, vel ab utrisque fiant. Ergò? Ergò phlebotomare non est causam morbi tollere,

ſed vel bilem , vel pituitam intra vaſa revocare, vel alterutram, vel utramque exaltare ad morbi incrementum. Qua ratione igitur, qua authoritate, in quolibet morbo, cuilibet ægro, abſque diſcrimine ſanguinem extrahere cum tanto præjudicio , cum tanto periculo? Si ſanguis non peccat, ſi ſanguis in culpa non eſt, ſi cauſa morborum ex Hippocrate eſt bilis , vel pituita, non ſanguis: cur iſte ſemper innocens, ſemper ſine cauſa damnatur? Et tamen ſanguipetæ vix conſpecto infirmo, ſtatim ac ſanguinem buccinant : Si non lavant togas ſuas in ſanguine ægri, non benè curant. *Et ſine ſanguinis effuſione*, uſurpabo accommodè illud Apoſtoli, *ad Hæbr.9.22. non fit remiſſio* morbi. Et adeò inoleverat anteacto tempore iſte (ut loquar cũ Etmullero, & Zacuto ſupracitatis) nefandus mos, quòd ſi quis manus quorumdam medicorum effuderet abſq; pretio etiam primi ſanguinis ſignare ſe poterat ſigno crucis, & inter miracula ſcribere. Non eſt cur Hippocrates decernat , & doceat *lib.*

de

de aliment. num.5. Morborum differentiæ in spiritu, in calore, in sanguine, in pituita, in bile, in humoribus, in carne, in pinguedine, in vena, in arteria, in nervo, musculo, pellicula, osse, cerebro, medulla spinali, ore, lingua, stomacho, gula, ventre, intestinis, septo transverso, peritonæo, membrana alvum, ac intestina amplectente, hepate, sphlene renibus, vesica, utero, cute. Non est cur Galenus in suis operibus (ut legenti patere potest) causam infirmitatum nostrarum quasi semper in quodlibet aliud derivet, quam in sanguinem ipsum: Galenici enim sic vocati semper contrà inimicum sanguinem pugnant. *Effuderunt sanguinem innocentem. Psal.*105. 38. *Et sanguinem innocentem condemnabunt. Psalm.*93.21. Ratio hujus forsitan esse potest, quià hac medendi methodo ipsis opus non est super paginas Authorum tempus conterere, & spiritus insumere; Siquidem modico tempore, & minori studio medicinam edifcunt, & Excellentissimi evadunt, ut Galenus ipse adnotavit. *De sectis ad*

eos

eos, qui introducuntur cap. 6. *in libris extrà ordinem classium. Hancque maximam esse methodicæ sectæ virtutem prædicant, ideoque summa gloria, atq; admiratione dignam censent, neque longam, neque difficilem esse artem medicam, sed facillimam, & apertam, quæq; tota, vel sex mensium spatio perdisci celerrimè possit.*

Dicet fortaſsè aliquis, quòd in præmiſſa authoritate Hippocrates connumerat etiam ſanguinem, & morborum differentias in ipſo paritèr collocat. Ergò quandò morbus eſt in ſanguine, tunc mittendus eſt, ut cauſa auferatur.

Reſpondeo. Concedo, & veneror authoritatem Hippocratis: Nec dico, ſanguinem eſſe impeccabilem, & incorruptibilem. Nam me docet Divinus ſenex de podagra loquens *lib. de affect. num.* 32. *Podagra violentior est omnibus ejusmodi circà articulos morbis, & diuturnissimus, ac ægrè cedens morbus: Et est quidem hic morbus sanguinis in venulis à bile, ac pituita corrupti.* Itaque in ſenſu Hippocratis quælibet

cor-

corruptio in ſanguine fit radicalitèr, & originalitèr à bile, vel pituita, tanquam à cauſis, ut ipſemet Hippocrates docet. Concedo ergò ſanguinem ipſum eſſe corruptioni obnoxium, & quandoque à prædictis cauſis vitia formalitèr induere: Ergò emittendus eſt, ut cauſa auferatur. Nego conſequentiam. Imò corrigenda eſt bilis, vel pituita, vel utraque, quià iſtæ ſunt cauſa morbi, & corruptionis in ſanguine ex doctrina Hippocratis. Nec ſanguis ullo modo corrigi poteſt per phlebotomiam, ut liquido patet ex dictis in capite ſecundo. Ibi videantur, ne dicta repetantur.

Quinta ratio. Dantur tales ſtatus ſanguinis, in quibus ipſum extrahere noxium eſt, & etiam læthale, v. g. ſi ſit valdè ſeroſus, aut multum viſcoſus, nimis liquidus, aut languidus, vel parum ſpirituoſus: Si cacochimia bilioſa ſit cum penuria ſanguinis, aut extrà venas: Et alia ſanguinis ſyſtemata, in quibus nullatenus vena ſecanda eſt. Hoc probatione non indiget, quià liquidò

patet

patet etiam medicina levitèr tinctis. Hoc concedunt etiam ſanguipetæ ipſi, & quandò ſanguinem ſic conſtitutum ſupponunt, à phlebotomia abſtinent. Sed ſic eſt, quòd tales ſtatus ſanguinis, ubi venæ ſectio damnoſa eſt, verè cognoſci non poſſunt. Ergò irrationabile eſt, & valdè periculoſum, ſanguinem mittere. Major conceditur etiam ab adverſariis, & vera eſt. Minor probatur: Tales ſtatus ſanguinis eſſent cognoſcibiles, vel ex ipſius ſanguinis inſpectione, vel ex pulſu, vel ex urina: Sed ex nullo iſtorum cognoſcibiles ſunt. Ergò &c. Major patet à ſufficienti diviſione: Minor probatur per ſingula.

Et primò: quòd ex ſanguinis inſpectione ejus interna textura dignoſci nequeat, vel judicari, ſatis probatum remanet in capite tertiò, ubi oſtenſum eſt, varios ejus colores, & diverſam conſiſtentiam non poſſe ſtatum ſanguinis in corpore exiſtentis indicare: Siquidem ex Profeſſorum obſervatione, ſanguis multorum infirmorum è venis ex-

extractus in colore, & consistentia à sanguine sani minimè differt: Quandocunque sanguis febricitantium etiam maligna, & pestilenti febre, pulcher est, & purpureus: Quandoque sanguis visu pulcherrimus fætorem exhalat: Quandoque rubescens ipso facto in album commutatur. Nec opus est hìc repetere facilem alterationem, quàm sanguis patitur in vasis post pastum, diætam, sudorem, urinam, potionem &c. Diversum aspectum, quem sumit ex vario modo exeundi è vena: Chirurgi arbitriũ, qui diversimodè pro libito sanguinem colorare potest, ità ut modò rubeus, modò turbidus, modo obscurus appareat, proùt in crasso, vel tenui, in lato, vel angusto vase recipitur, in calido, vel frigido loco refrigeratur, & ex nigro in rubeum, ex rubeo in nigrum mutetur solo situ mutato &c. Cum ergò sanguinis colores, & alia sensibilia signa mendacia sint, status ejus ex ispectione cognosci non potest.

Secundò neque ex pulsu. Lucas Tozzi *med. pract. part.* 1. *pag.* 184. Case *compend.*

pend. anat. pag. 21. Zipei *fundam. med. art.* 8. & alii admonent, pulſum eſſe fallax ſignum, & fraudis ſuſpectum: alteratur enim, inquiunt, ad omnem animi paſſionem, ad omnem corporis motum, & ſæpè interruptio ejus, & inæqualitas non derivat ab interna textura ſanguinis, ſed ab alia extrinſeca cauſa, puta inflatione, pulpo, calculo, ab arteria, quæ vel calloſa, vel cartilaginoſa, vel oſſea facta eſt: ab inconcinna ſtillatione fluidi nervei in fibris motricibus cordis, & à pluribus aliis cauſis à Boneto *anat. pract. lib.* 2. *ſect.* 9. allegatis. Pulſus in malignis, & peſtiferis febribus ut plurimùm ſimilis eſt pulſui ſano; ut teſtantur Foreſtus *in peſte Delfica* Hieronymus Mercurialis *lib.* 3. *de febr. c.* 17. Diemerbroechius *de peſte lib.* 1. *cap.* 7. Piens *de febr. c.* 2. & Galenus *de præſag. ex pulſ. cap.* 3. & 4. Undè mirùm non eſt, ſi dicat Elmontius *tumul. peſt. pag.* 64. peſtem nunquam cognoviſſe ex pulſu, & urina. Vvillis advertit *pharmac. rat. pag.* 277. & 280. interdum pulſum unius manus eſſe ple-
num

num, altum, laudabilem: pulsum alterius è contrà tenuem humilem, pessimum. Major pars apoplecticorum, qui morti sunt viciniores, pulsum habent fortem, & validum, uti fidem faciunt Fermelius *de part. morb. & symptom. lib.* 5. *cap.* 3. Massaria *pag.* 789. Æide *de centum obser. medic. obs.* 4. Micheli *de apopl. cap.* 21. & alii. Demum Hippocrates parum, aut nichil curavit de pulsu, ut de eo scripserit Galenus 4. *de crisibus cap.* 11. *signa ex pulsibus sumpta Hippocrates, vel quia non noverat, vel quia non magni existimavit, idcirco non est executus.*

Tertiò neque ex urina: De qua dicunt Primerosius *de vulg. error. lib.* 1. *cap.* 1. & Tozzi *in com. lib.* 1. *aphor. Hipp.* 12. post cibum, potum, exercitium, somnum, longam vigiliam, colorem mutare. Notant Bellinus *de sanguin. mission. pag.* 196. & Sinapius *de vanit. falsit. &c. aphor. Hipp. pag.* 186. medicamentorum tinctura affici; Undè post sumptum crocum flava, post cassiam nigricans, post resinam alitèr colorata apparet.

paret. Interdum diverſorum infirmorum urina ſanis ſimilis eſt, ut obſervat Piens *de febr. cap.* 2. *&* 7. Hinc credi poteſt Arculano confitenti *com. in Avicen.* 4. *can. fen.* 1. *tract.* 20. nunquam potuiſſe quartanam, epilepſiam, aut alios morbos ex urina dignoſcere. Inſuper omnibus notum eſt, in malignis, & peſtiferis febribus urinam ab illis, qui in ſanitate degunt, non differre, ut illa paritèr hectica febre laborantium naturali prorsùs ſimilis eſt, ut notat Galenus *lib.* 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 4. In peſte à Diemerbroechio deſcripta *de peſte lib.* 1. *cap.* 7. *&* 15. multi moriebantur urinis ſanis. Nec ſilentio prætereundum, quod multi aſſerunt, non totam urinam ſeparari à ſanguine in renibus, ſed per aliam viam breviorem directè ad renes, ureteres, veſſicam plurimam deferri. Duo loca inveni apud Hippocratem, ubi hoc innuere videtur *de loc. in homine num.* 15. *In ventrem porrò ea, quæ comeduntur, ac bibuntur procedunt, ex ventre, autem fibræ in veſicam, qua parte humorem percoat,*

ex-

extentæ ſunt. Et lib.4. de morb. nu. 28. *Et ubi habuerit puer venas de ventriculo ad veſicam tendentes amplas, & attrahentes &c.* Quidquid tamen ſit de hoc: veriſſimum eſt, urinam quandoque tranſcolorari poſſe propter veſicæ vitioſitatem. Undè nos advertit memoratus Hippocrates *lib.prænot.nu.*12. *Neque verò decipiat te ſi veſica morbum aliquem habens, ejuſmodi urinam reddiderit: non enim totius corporis ſignum eſt, ſed ipſius per ſe veſicæ.* Hinc commune illud effatum *pulſus fallax, urina fallacior.* Si igitur ſanguinis color, pulſus, & urina tres ſunt teſtes, ſed falſi, & fallaces: quænam alia ſigna indicare poterunt ſanguinis ſtatum, & conſtitutionem pro determinanda necne venæ ſectione? Nonne ſanguis poteſt eſſe affectus aliquo ex dictis modis, in quo ſtatu ipſum extrahere, aut læſivum eſt, aut læthale, hoc non percipiente medico? (& oh oh quoties evenit!) Et tunc per conſequens nonne erit phlebotomia aut fatalis, aut ſaltem notabilitèr nociva? Non videò effugium à

vi hujus rationis, ſi benè percipiatur. Jactare ſe cognoſcere præſens ſyſtema ſanguinis, & de ejus conſtitutione judicare, vanitas eſt, riſu digna: Siquidem medicinæ Antiſtiti *lib.* 1. *aphor. aph.* 1. *Experimentum periculoſum, & judicium difficile*. Omnes ſubſcribunt. Omnes medici fatentur, artem ſuam fallacibus conjecturis inniti. Quotidianæ experientiæ comprobant, Medicum ludere, & divinare. Innumeri propemodum caſus ex Authoribus adduci poſſent, in quibus etiam celeberrimi Profeſſores tam in dignoſcendis, & judicandis morbis, quam in præſtandis remediis erraverunt, & errant. Quid plura? Etiam in iis judicandis, quæ ſenſibiliora ſunt, & clariora, multoties error, & deceptio contingit. Et poterit quiſquam ſecretius naturæ cubiculum penetrare, delicatam, & occultam ſanguinis texturam compræhendere, non alio duce, quam fallaci, & erronea conjectura? Dicatur mulierculis, pueris, & fatuis, non viris,

ris, ratione utentibus. Si ergò Medicus eſt cæcutiens in congnitione ſanguinis, & morborum, mederine debet per viam ſanguinis cum tanto periculo ſalutis, cum tanta certitudine inferendi damnum, cum tanta probabilitate auferendi vitam? Et dato etiam (ſed non conceſſo) quod haberetur perfecta notitia ſtatus ſanguinis: Cum tamen nequeat Medicus prævidere, quemnã effectum phlebotomia productura ſit in maſſa humorum, nullo modo debet vitam infirmi periculo exponere tam crudeli remedio; Sed juxtà Hippocratis præceptum *lib.* 1. *de morb. popul. ſect.* 2. *Talia exhibere, quæ ſi non juvant, ſaltem non noceant.*

Sexta ratio. Ex Hippocrate *lib.* 1. *aphor. aph.* 21. *Quæ ducere convenit, quo maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere.* Et hujus aphoriſmi alibi rationem aſſignat, dicens *lib. de flatibus num.* 2. *Eſt enim maxime ſecundum naturam ipſa medicina.* Sed ad venæ ſectionem nec maximè, nec minimè, nec ullo modo na-

tura vergit. Ergò per venæ ſectionem ducere non convenit. Major non video, quòd inficiari poſſit, eſt enim divini ſenis oraculum, & ſi non primum, & per ſe notum principium, ſaltem per ſe noto proximum. Minor probatur. Quo natura vergit, ipſa natura docet, ibi procedendo, ibi properando ad criſim, & per illam partem expellendo noxia, & à gravantibus ſe exonerando. Atqui à ſeculo non eſt auditum, quod natura vi ſua, & ſponte ſua venam aliquam in bracchiis, vel cruribus aperuerit ad emittendum ſanguinem pro conſervanda, aut recuperanda ſalute. Ergò in venæ ſectionem nullo modo natura vergit. Probatur major per inductionem. Quia natura vergit ad expellenda excrementa deorſum per vaſa dejectoria, quandoque alvo ſubducto per ſeceſſum emittit, & per talem viam à noxiis ſe exonerat; Et tunc cantarticis adjuvatur, quia intentioni ſuæ cooperantur. Quia vergit per renes, & ureteres, quandoque urinam ciet; & tunc adjuvatur diureticis.

ticis. Quia vergit ſurſum per os, quandoque motu pareſtaltico ventriculi vomitum excitat, & cruda, vel excrementitia eijcit; & tunc ipſum ſublevant vomitoria. Quia vergit per tracheam, quandoque copioſas fuligines in pulmonibus ſecernit, & per excreationem foras emittit; & tunc ipſam juvant bechica, ſiuè expectorantia. Quià vergit per glandulam pituitariam, pituitam in ventriculis cerebri receptam, & ad fauces, & palatum ſtillatam, per ſalivationem expuit; & tunc ipſi proſunt caputſpurgia, ſivè apophlegmatiſmi. Quià vergit per nares, muccoſitates ex infundibulo ad os cribroſum inſinuat; & tunc ipſi opem ferunt ſternutatoria. Quià vergit per totum corporis habitum, quandoque ſudores vi ſua expulſiva emittit; & tunc ipſam alleviant ſudorifica, ſeù diaforetica. Quià vergit inceſſantèr in diaforeſim, humorem aqueum ex ſanguinea maſſa tranſmittit continuò ad cutaneas glandulas, ut per inſenſibilem perſpirationem evaporetur; & ad hoc

ipſam adjuvant motus, exercitium, frictiones, calefactoria, cutaneos poros dilatantia. Quia vergit in tumoribus ad pus ibi collectum indè eijciendum, ſuppurationem facit; Et tunc quandoque ferro ſecante ſaniei exitus coadjuvatur. Minor patet: Nam ad emittendum è vena ſanguinem, ſivè baſilica, ſivè cæphalica, ſivè mediana, ſivè ſalvatella, ſivè ſaphæna, ſivè aliis ſecari ſolitis, natura non vergit, nec ibi vergere neque regularitèr, neque aliquandò indicavit. Ergò vel à phlebotomia abſtinendum, vel principium Hippocratis. *Quæ ducere convenit &c.* deſtruendum. Sequitur Hippocrates. *Per loca conferentia eò ducere*. Venæ autem ſunt loca conferentia ad fovendum, ad movendum, ad conſervandum, ad referendum ſanguinem ad cor: non ad ducenda, quæ expellenda; Nec enim deficiunt in corpore loca conferentia ad ducendum, quæ ducenda, & educenda ſunt. Imò (ultrà ad hoc determinata vaſa) corpus totum eſt locus conferens pro hoc mu-

munere obeundo per poros cutis mediante perſpiratione. Ergò &c.

Nec dicas: Naturam interdùm venas in thorace, vel alibi diſrumpere, & conſequenter ibi vergere.

Reſpondeo enim, quod illa ruptio non eſt à natura inſtituta, & ſana; ſed à natura infirma, à morbo naturæ, ab acrimonia ſcilicèt bilis, vel pituitæ venarum tunicam corrodente. Nec natura venas diſrumpit quaſi ibi vergat, ut per illam viam ſalutem operetur, & ſanitatem obtineat: Nam tales ſciſſiones ſunt morbus, & cauſant morbos, & ſi non benè agglutinentur, inferunt mortem.

Nec replices: Naturam quandoque ſponte ſua hæmorroidales aperire, aut carotidas, vel jugulares internas in capitis ventriculis hiantes, & per nares, vel anum ſanguinem mittere, & ſeſe exonerare, quod confert ad ſui ſalutem. Ergò &c.

Reſpondeo. Concedo ecquidem, capillaria illa vaſa, quandoque adaperire, & hoc etiam ad ſalutem conferre,

cujus rationem vidiſti in capite primo, puncto primo: Ibi relege. Nunquam tamen ſic brachiorum venas aperit, vel crurum, quia per iſtas, utpotè vaſa conſpicua, conſequi non poſſet intentum ſalutarem effectum. Natura ergò vult expurgare fæcem ſanguineam per determinatas partes, ad quas ventilatione, & motu, & calore eam reducit, ſicut & determinata excrementa per determinata ejectoria vaſa expellere. Hinc per crurales, vel brachiales venas, ferro ſecante, ſanguinem mittere (cum ibi natura non vergat) eſt ipſi naturæ violentum, & ejuſdem læſivum; Cujus validas rationes habes in capite ſecundo. Inſtantia igitur rationem poſitam magis confirmat.

Sed dato etiam, nunquam tamen conceſſo, quòd phlebotomare (quod verè eſt naturæ adverſari) ſit naturam imitari: quæro. Ubinam eſt Æſculapius ille, qui ità probè ſciat imitari naturam, qui diſtinctè cognoſcat, quibus in morbis, quandò, quantum, quo in loco, & plures alias circumſtantias ſci-

tu necessarias, & soli naturæ notas, tunc quandò sanguinem mittere intendit ad sui levamen? Et si præsens status sanguinis (quem, salva omnium pace, & reverentia, medicus absolutè percipere nequit, sicuti deducta est quinta ratio) obviat phlebotomiæ; quinam deplorabilis, effectus ex ipsa sequetur?

Dices. Phlebotomia est secundum naturam, quia etiam ipsa sanguinem mittit: Quod si bracchii, vel crurum venas non aperit, hoc est, quia aperire non potest. Undè in hac parte natura impotens est coadjuvanda, & venæ ferro secandæ.

Respondeo: quòd venas prædictas ex se natura non aperit, non quià aperire nequeat, sed quia non vult, & aperiendæ non sunt; nec consequentèr contrà ejus indolem ferro secandæ: Quidquid enim ad bene esse naturæ confert, natura potest, cæteris paribus. Et quid non molitur, quid non machinatur, quid non operatur ad sui conservationem, ad morborum depulsionem? Hìc implendæ essent paginæ in enarrandis

na-

naturæ mirabilibus: Ipſa ſiquidem alterat, concoquit, edomat, attenuat, ſeparat, diſſolvit, reſolvit, impellit, extrudit noxia per poros, per cuniculos, per meatus, per vias oculatiori etiam anatomiæ incognitas. Hoc unum dixiſſe ſufficiat à quodam excellenti medico mihi relatum. Patavii, inquit, in pulmones cum trachea è cadavere extractos toto conatu inſufflabam: inflabantur ad modum utris, ità ut nec minimum aeris ſpiraculum tranſmearet. Mirum! Parenchina hoc nec aeri ſubtiliſſimo exitum præbet, & tamen craſſæ ſaniei, & coagulato ſanguini in pleuriſibus aditum præſtat, ut per tracheam expurgetur! Mirabatur medicus hoc fieri poſſe, & tamen fit; & alia plura continuè natura operatur, quæ incredibilia forent niſi experiremur. Vvillis *de palp. cord. ſect.* 6. *cap.* 3. Horſtius *lib.* 3. *obſ.* 17. Fermelius *lib.* 5. *cap.* 12. Blancardus *anat. pract. rat. obſ.* 7. *&* 8. Sylvius Deleboe *pract.* 2. *pag.* 484. Mayou *tract. de mot. muſc. cap.* 7. *apud bibl. anat. tom.* 2. *part.* 4. Etmullerus *de cord. & art. pulſ.*

*pulſ.pag.*183. & alii dicunt, cor tam validè, & tanto impetu pulſare, ut interdum, è loco exiens, motibus ſuis, quaſi calcibus coſtas effringat. Et non poſſet natura ad mittendum ſanguinem venam alicubi aperire, ſi pro ſalute opus eſſet, ſi intentione ſua ibi vergeret? Poteſt ad ſe expurgandum, vitioſum ſuccum in tot generum tumoribus, pupulis, puſtulis &c. ad ſuperficiem tranſmittere, & inibi ſuppurationem facere, non obſtantibus muſculis, membrana carnoſa, cute, cuticula &c. Et non poſſet ad ſe ſublevandum à morbis, ſimplicem venæ tuniculam, & cutem perforare pro miſſione ſanguinis, ſi ibi vergeret? Poteſt venas ipſas, vel exterius ſectas, vel interius laxatas, aut diſruptas vi ſua reunire, claudere, agglutinare, conſolidare, ne ſanguis effluat in ſui perniciem. (quod tamen difficiliùs eſt) Et negare potes, poſſe naturam eaſdem venas paululum reſerare (quod tamen facilius eſt) ad mittendum ſanguinem, ſi pro ſalute ſua indigeret? Negare potes, poſſe ſaltem naturam

vel

vel puſtula, vel prurigine, vel ardore, vel dolore, vel tumefactione, vel tumultuario ſanguinis motu, vel aliquo alio ſigno, & muta loquela in brachialibus, aut cruralibus venis ſanguinis miſſionem indicare, ſi oporteret, ſi ibi vergeret? Si logicæ ſtuduiſti, & loca topica vidiſti, ſcies, quod à minori ad majus tenet conſequentia affirmativè juxtà maximam: *Si quod minus videtur ineſſe, ineſt: ergò quod magis videtur ineſſe, inerit.* Sed minus videtur ineſſe, ſcilicèt minùs probabile eſt, difficilius eſt, quod poſſit natura venam diſciſſam conglutinare (ut alia mirabiliora taceam) quam integram ſcindere, ut de ſe patet: Ergò ſi primum facit, & negari non poteſt, à fortiori poterit, & ſecundum. Hoc autem ſecundum natura nec facit, nec facere tentat, quia nec venas aperit, nec aperiendas aliquo ſigno indicat: Ergò ratio præciſa eſt, quia natura ibi non vergit, nec ſuccum illum profundere intendit, quem nimio zelo cuſtodit. Deus in humano corpore plaſmando ſicut cudit, & aperuit

vaſa

vaſa in contumeliam, vaſa, inquam, ejectoria ad cujuſvis generis excrementa expellenda: Ità & cudit, & clauſit vaſa in honorem, vaſa, inquam, ſanguinea, ad ſucci hujus circuitum, & zelantem cuſtodiam. Natura ab Authore ſuo edocta, ſicut excrementorum gravamen excutit, & detrudit: Ità ſanguinem, perennem vitæ fontem, conſervat, & fovet. Hoc nos docet, ſi diſcere volumus, prudens, & provida mater: hoc ſuis operationibus inceſſantèr clamat. *Qui habet aures audiendi audiat. Mat.th.*13.9.& ediſcat: Nam ars medica, ſicut alia quælibet, eſt naturæ diſcipula; & à naturæ magiſterio divertens evadit carnificina. Igitur ſanguinem mittere eſt à recta medendi methodo declinare, quia eſt naturæ intentioni directè contraire, ipſam impugnare, enervare, damnificare, deſtruere, lanionum, & latronum more ipſam ſauciare, & meliorem ſuccum, & potiorem ſubſtantiæ ſuæ theſaurum violentèr extorquere.

Ut autem vis, & veritas hujus ſextę

ratio-

rationis rectè percipiatur. Obiicies contrà, & dices. Hæc ratio nimis probat: ergò nihil probat. Consequentia patet: antecedens probatur. Probat, nunquam extrahendum è vena sanguinem, quia si natura ibi non vergit, nunquam vel contrà, vel præter naturæ indolem agendum est. Ergò posita ratio nimis probat, ergò nihil, ergò ad nichilum valet, & tota corruit.

Respondere possem negando primum antecedens, & gratis admittendo antecedens probationis, negata consequentia. Siquidem hæc propositio. *Nunquam per venæ sectionem extrahendus sanguis*. Licèt sanguipetis videatur paradoxum; Attamen (non dico apud me, qui nullius sum authoritatis cum sim quidem professus, sed non professor) apud excellentes Professores, & validè probari, & optimè sustineri posset: Nam damnum, quod à phlebotomia infertur, certum est, & inevitabile: & hoc rationabilitèr negari non potest. Bonum, quod à phlebotomia speratur, imaginarium est, vel casua-

casuale: & hoc benè ostendi potest. Quare si prædicta ratio etiam absolutè concludat, & phlebotomiam omninò excludat, non propter hoc nimis probat: Nam solum probat quod est valdè probabile, & multi non sine gravi fundamento verùm putant. Quià tamen non intendo hìc asserere sic universalitèr hanc propositionem, quòd nunquam omninò secanda sit vena; sed tantum in sensu accommodo, quomodò scilicet restricta est ad suprapostita capita: Alitèr respondeo, & ostendo, quòd prædicta ratio non probat quod prætendit objectio; consequentèr non probat nimis, sed concludit præcisè ad intentum. Nego igitur primum antecedens, & etiam antecedens probationis: pro cujus intellectu.

Ex Doctore subtili *in* 4. *sent.distinct.* 49. *quæst.* 13. Duplex est natura: Universalis, & Particularis: Illa procurat bonum totius universi ut sic: Ista verò bonum rerum particularium; Et cum utraque sit principium naturalitatis, duplex quoque admittenda erit violentia. Si

Si ſermo ſit de natura univerſali, procul dubio corruptio eſt naturalis, non violenta. Tum quia natura univerſalis per ſe inclinat in varias rerum generationes, & conſequentèr in varias corruptiones ex illis conſecutas. Tum quià corruptio conformis eſt ejus legibus, non ſecùs ac generatio, quibus ſancitum eſt, ut in hoc mundo ſublunari, quæ generantur tandem intereant. Imò hac ratione dici debet per ſe intenta à natura, non quidem per ſe primò, quià non expetitur ut finis, & ratione ſui: ſed ſecundariò, & quaſi per accidens, quatenùs ſcilicet conducit ad generationem; nullam enim corruptionem moliretur natura, niſi novis deſerviret generationibus.

Si ſermo ſit de natura particulari ſumpta pro eo, ad quod res individua, ut ad ſuam perfectionem propendit, corruptio non eſt naturalis, quia tendit per ſe ad non eſſe formæ in materia, & per conſequens ad non eſſe compoſiti: Nihil autem inclinatur ad proprium non eſſe, ſed potiùs appetit natura-

turalirèr esse, & sui conservationem. Quare dixit Aristoteles 1. *de Cælo tex.* 37 *Senectutem, aliasque affectiones, quæ ad perniciem tendunt, & interitum, esse contra naturam.*

Hac posita doctrina dico. In corpore humano vel possumus considerare partes ejus integrales inter se, ut manum, digitum, pedem &c. tamquam particulares naturas, quibus convenit propria vita in toto, & quelibet pars convivit alteri in eodem toto: Imò in hac unione quælibet pars aliam fovet, & coadjuvat ad vitæ conservationem, ut ait Apostolus 1. *Cor.* 12. 25. *Pro invicem sollicita sunt membra.* In hoc sensu natura totius, sicut appetit conservare sibi unitas omnes, & singulas partes, ità & appetit conservare sanguinem, qui est fons vitæ, & omnium partium alimentum: Et sicut ipsi toti violentum est, & contrà naturam amittere partem; & etiam ipsi parti corrumpi; & separari à toto: Ità & toti, & parti violentum est, & contrà naturam emittere sanguinem; quia hoc non est

perfectivum, aut conservativum totius, vel partis, sed utriusque læsivum, & destructivum. Et in hoc sensu procedit ratio, quòd non vergit natura in venæ sectionem.

Vel possumus considerare ipsum totum ut sic, prout in ordine ad partes habet quodammodò rationem communis, & universalis. Et in hoc sensu si vita totius est incompossibilis cum vita, & unione partis: Cum natura per se primò intendat vitam totius, consequentèr, & per se secundò vergit, & naturalitèr inclinat in amissionem partis. Undè si cancer, de quo Ovidius *Metamorph.*

Utque malum latè solet immedicabile cancer serpere, & illesas vitiatis addere partes. Vel ignis sacer, de quo Virgilius 3. *Georg.* ---*Contractos artus sacer ignis edebat.* Vel hujusmodi incurabilis morbus partem aliquam afficiat, cum qua affecta totum individuum vivere non posset, & sine qua adhùc vivere potest, juxtà maximam. *Sublata una parte integrali, non tollitur totum abso-*

absolutè: tunc vult natura, partem illam abscindi, & perire, ut totum vivat, & conservetur. Et sic canebat Juvenalis *Sat.* —— —— *Immedicabile vulnus. Ense recidendum est, nè pars sincera trahatur*. In hoc eodem sensu, si detur casus, quod totum vivere non possit sine sanguinis missione è secta vena, (quem casum methaphysicum puto, non practicum) sicuti v. g. vivere non potest sine abscissione partis infectæ: Dico tunc, quòd natura vergit in venæ sectionem, sicuti vergit in partis amissionem. Et hoc non negat, nec contrà hoc concludit ratio; Nam procedit de vergentia regulari, juxtà sensum Hippocratis, qua non vergit natura in sanguinis emissionem, sicuti vergit in alias emissiones, ut inductivè ostensum est. Undè ratio non probat nimis, sed probat præcisè ad intentum. Verùm rectè hinc infertur, quòd phlebotomia utendum est solummodo ut remedio extremo sicuti ferro, & igne &c. Hac responsione, meo videri soluta est objectio. Non tamen mihi videtur evacuari pos-

ſe rationem : Et ſi quis eam ſolvet, profecto erit mihi magnus Apollo.

CAPUT UNDECIMUM.

Phlebotomia à profeſſoribus rejecta, & à regionibus eliminata.

MIrum eſt, quòd phlebotomia à tot profeſſoribus damnata, rejecta, & abominata, ac poſt tot mortales, & tragicos eventus, qui ex ejus uſu in dies ſequuntur, adhùc tranſactis temporibus adeò invaluerit, ut ab aliquibus in omni morbo, in omni ætate, in omni tempore, in omni temperamento indiſcriminatim adhiberetur; ut verba Petri Borelli antiquæ ſcholæ Illuſtris Authoris replicari poſſint *in lib. obſer. cent.* 3. *obſ.* 11. *Sed iſti ad omnia idem præſcribunt, nec opus eſt eligant ulla conſultatione, dum quis laborat morbo quodam, poſſunt ægri marſupiis parcere: Sciunt enim omnes, quis, qualiſque erit finis conſultationis, ac exitus, antequam fiat, nimirùm phlebotomiam inſtituendam*

dam eſſe: Quid tot ergò verbis opus eſt? quid etiam medicis? ſufficiunt chirurgi, ſi nulla alia ſit medicina, quam venæ ſectio. Et infrà. Viſique ſunt ægri, quibus tres una vice præſcriptæ fuerant phlebotomiæ, cum prima obiiſſent, ſolaque ad vitam eorum languidam eripiendam ſufficere valuiſſent; Nec parcunt ulli ſexui, nec temperamento, imò nec ijs, qui pulmonis detinentur affectibus, & quibus ipſe ſanguis, ſi fieri poſſet, infundendus, non evacuandus eſſet.

Criſippus, Cnidius, Medius, Ariſtogenes, ſtratus, Aomantes Medici, Galeno teſte *de cur. rat. per ſang. miſs. cap. 2. & lib. 5. de tuend. ſanit. cap. 10. & de venæ ſect. adv. Eraſiſtratum cap. 2. & adv. Eraſiſtrateos c. 2. & de ven. ſect. adv. Eraſ. cap. 4.* apud Græcos clari: Eraſiſtratus, de quo ſubdit idem Galenus. *Quorundam judicio Hippocrati par eſſe videtur.* Omnes iſti cum eorum aſſeclis. *Cane pejus, & angue*, ſequitur Galenus *phlebotomiam oderant.* Nec ſilentio prętereundi, quos Lucas Tozzi commemorat *med. part. prim. de phlebot. pag.* 258.

 ſcili-

ſcilicèt Theophraſtum Paracelſum, Severinum, Scheunemanum, Crollium, Artmanum, Quercetanum, Fabrum, Poterium, Petreum, Cruſium, Chergerum, Salam, Elmontium, Cornelium Conſentinum, Leonardum de Capua: quibus adjungitur ipſe Lucas Tozzi, Lucas Portius, Cnoffellius, Dominicus Scala, Muyz, Bontechoe, & alii hoſtes expreſſi phlebotomiæ.

Medicus quidam Vir vita integerrimus, & doctrina, & praxi verè Excellentiſſimus loquutus eſt mihi in hæc verba. *Se devo parlare con ingenuità: Sin a che hò ſeguitato a fare il medico ſecondo l'uſanza di medicare col cavare, e ricavar ſangue hò veduto le cure andar in precipitio, e perir molta gente, ò vero allungate le infermità a ſegno, che mi ſi rendevano nojoſe, ed inſopportabili. Ma quando hò mutato ſtrada è non hò medicato, ſe non col conſiglio delli Autori, e con la ragione, che da medeſimi hò ricavato, hò veduto mutar conditione i mali, e ben preſto guarire gl'infermi.*

Quidam

Quidam Chirurgus, nedùm ætate provectus, utpotè 70. annorum, ſed etiam in arte ſua valdè expertus inter alia plura, quæ in deteſtationem phlebotomiæ adduxit, hæc præciſa verba auribus meis intonuit. *La maggior pazzia, che poſſa fare un Uomo in ordine alla ſalute del corpo è il farſi cavar ſangue, che è la ſede de ſpiriti, il balſamo della vita, e tutto l'eſſere dell' Uomo. Io parlo veramente contro il mio meſtiere, ma ſon Uomo ingenuo, mi piace dire la verità.* Et hanc veritatem & ſcientia, & experientia ipſum docuerat; Nam proſequendo, plures caſus mihi retulit de diverſis perſonis, quæ ſanguine extracto, etiam in morbiculis parvi momenti irreparabilitèr properarunt ad mortem: Et recentèr de quodam religioſo levitèr indiſpoſito, cui cum ex medici præcepto venam ſecaſſet, convaluit ab omni infirmitate, ſiquidem poſt triduum defunctus eſt. *E per iſtar meglio, in capo a trè giorni morì.* Ità Chirurgus.

Abiſſini nunquam phlebotomia uſi

ſunt, ut ex teſtimoniis fide dignis probat Elmontius *ſchol. humoriſt. paſs. dec. cap.* 1. Cinenſes, & Japponenſes (apud quos, inquit Robertus Boile *de util. phyſ. experim. exerc.* 5. *cap.* 10. *medicina admodum floret*) ex relatione ejuſdem Boile, Leonardi de Capua *rag.* 3. Lucæ Portii *de ſang. miſs. pag.* 131. Bernardi Varenii *in deſcript. reg. Japponen. cap.* 25. P. Semedo Societ. Jeſu *Hiſtor. Chin. p.* 12. nunquam ſanguinis miſſionem in uſu poſuerunt: Nec eſt apud ipſos alia ratio, niſi quia demendo animalibus de ſanguine, demitur etiam manifeſtè de vita. Neque hoc parum videri debet. Nec prætereundus Hippocrates, qui refert *de veter. med. num.* 10. Barbaros uſque ad ſuum tempus, nedùm phlebotomia uſos non eſſe, ſed neque medicina. *Itaque uſque in hunc diem hi, qui medicina non utuntur barbari, de Græcis confines, eodem modo, quo ſani, victitant ad voluptatem, & à nulla re, quam concupiſcunt, abſtinent, neque quicquam devitant.* Nec prætereundi Romani, qui ſex ſæculorum decurſum

:ursum absque medicis transigerunt. Ità refert ex Plinio Aurelius Cornelius Celsus *in epist. ad lectorem*, & rationem subdit dicens. *Itaque caruisse medicis ad annum sexcentesimum: quod voluisse eos credendum est non artis odio, sed artificum: Idque Marcus Caro ad Marcũ filium scribens manifestissimè docet. Quod si aut Hippocratem habuisset Roma, cui Civium suorum salutem commendaret, aut &c.*

Dices. Præsumptio videtur phlebotomiam impugnare, quæ est medicinæ columna, à tot professoribus in omni ætate, in omni regione commendata, practicata, stabilita. Si error esset, quomodo sic universalitèr, & firmitèr invalescere potuisset?

Respondeo. Etiam peccatum malum est, & grande malum, & tamen in mundo adeò inolevit: Etiam abusus iste ab opinione suffultus, quæ aliquod bonum ibi inesse credit, quia præfixum, vel apparens, ità increvit, & subsistit, ut de multis aliis evenit. Non est tamen præsumptio, sed zelus, pro tuen-

da

da veritate impugnare errorem. Quod autem in objectione dicitur, gratis, & falsò dicitur, ut clarè patet ex prædictis. Hippocrates ab omni febre phlebotomiam exclusit: Et tamen optimè novit alleviare symptomata, sistere spiritus impetum, sedare sanguinis fervorem, inducere refrigerium, & ab omni plethora sublevare, à multis pro phlebotomandi motivo adeò decantata. Hanc methodum sequuti sunt Diocles, Caristius, Prassagoras, Herofilus, Calcedonius, Erasistratus, Asclepiades, & alii famosi Hippocratici professores, sequuti sunt Hermetici, necnon plures antiqui, minùs antiqui, & moderni Neoterici. Solus Galenus, qui 600. anno ab Hippocrate apparuit contrà contradicentes phlebotomare voluit, quem tandem, veritate comperta, hujus rei pænituit, & abusum emendavit. Vide in capite ultimo. Discipuli ejus sanguinem spirantes, lanceolis armati Europam ingressi sunt, & nullam assumebant curandam infirmitatem, nisi cum larga sanguinis effusione. Surrexit excelsus

celſus Vir Theophraſtus Paracelſus, qui tantam cecitatem in Europa invectam illuminavit, & eliminavit, oſtendens, quemlibet gravem morbum, & multò magis mitiorem curari poſſe, & debere abſque phlebotomia. Hæc tamen adhùc revixit opere malè rectæ opinionis, quod ſemel dixerat ſuſtinere volentis, & neotericæ experientiæ ſeſe oppoſuit. Sed actus Paracelſi reaſſumpſit magnus Elmontius, quem ſequuti ſunt, & ſequuntur in dies Neoterici quamplures, morbos curantes ſpecificis ſuis, ſanguine intacto, Ars ergo iſta ſanguinaria (non medicinalis) nunquam fuit, nec eſt communis, aut ſtabilita nec quò ad tempora, nec quò ad loca, nec quò ad profeſſores. Nondum præſcripſit, quia veritas ſemper caput erexit, reclamavit, & impugnavit. Quòd ſi veniſecæ vocant phlebotomiam medicinæ columnam: Neoterici eam proclamant medicinæ carnificem.

Sanguipetæ tamen pro tuenda phlebotomia tandem ad climata recurrunt, dicentes: Ratione climatis, ſub quo de-

degimus, necessariam esse; Ad clima siquidèm medicus attendere debet ex Hippocrate *lib.* 1. *aphor. aph.* 2. *Inspicere ergò oportet & regiones, & tempora, & ætates, & morbos &c.*

Respondeo. Vel Hippocrates scripsit particularitèr pro suo climate, ità quòd documenta ejus, & oracula inserviunt pro sola Græcia: Vel scripsit universalitèr, & doctrina ejus, & aphorismi militant pro omni mundi regione. Si primum, non est cur Hippocratem allegare: nam dicta ejus extrà Græcum clima nullius sunt authoritatis, sicut Hebræo testamentum novum. Si secundum, non docet Hippocrates quod ipsi prætendunt, nec distinguit quod in favorem phlebotomię distinguere volunt. Dicit ecquidem, & optimè docet Divinus Senex, quòd medicus in morborum cura inspicere debet & regiones, & tempora, & ætates, & morbos (atque utinam ità fiat) sed non loquitur Hippocrates de venæ sectione, sed de dejectionibus, quæ fiunt per vasa excretoria, vel spontaneè à natura, vel ex

phar-

pharmaci ſumptione, ut videre eſt in prætacto aphoriſmo fidelitèr relato. *In perturbationibus alvi, & vomitibus ſpontè contingentibus ſi quidem qualia purgare oportet purgentur, confert, & levitèr ferunt: ſin minùs, vice verſa. Sic & vaſorum vacuatio, ſi quidem talis fuit, qualis fieri debet, confert, & benè ferunt: ſin minùs, vice verſa. Inſpicere itaq; opportet regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conveniat, an non.* Et de facto debet medicus, ut ſuo muneri ſatisfaciat, in curandis ægris attentè reflectere ad regiones, ad tempora, ad ætates, ad morbos, ad conſuetudinem, ad temperamentum, ad vires. Ut ſciat quid, quomodò, quandò, in menſura, in numero, in pondere medicamentum exhibere: Alitèr porriget pro pane aſpidem, pro ovo ſcorpionem, pro medicina venenum, & mortem afferet pro ſalute. At loquendo de phlebotomia, Hippocrates ratione climatis nullibi aut præcipit, aut ſuadet: niſi quod in iis morbis, in quibus alias venæ ſectionem preſcribit,

cribit, quandò adeſt febris, eam abſolutè prohibet, ut in capite 7. oſtenſum eſt. Hinc inferre licet, quam malè, quam temerè, quam inconſultò agant, & contrà magni Magiſtri doctrinam, & praxim, qui nulla habita ratione temporis, ætatis ſexus, virium, in quolibet morbo, & potiſſimum ſi febris adſit, ſtatim ſanguinem mittunt. Et quod magis deteſtabile eſt, & deplorandum, etiam pro craſtinis diebus ſanguinis miſſionem indicunt: Dum illo temporis intervallo tot, & tam notabiles mutationes inter naturam, & morbum fieri poſſunt, quòd ſanguinis miſſio, quæ in illa hora v. g. in qua præſcripta eſt (in eorum opinione) fuiſſet utilis, in craſtinum evadat fatalis.

Sed ut magis pateat, quam erroneum ſit, imò ridiculum iſtud effugium ad climata pro phlebotomia tuenda, arguo ſic. Noſtra regio non differt ab aliis in conſtitutione morborum. Ergò neq; debet eſſe diſſimilis aliis in cura, & conditione remediorum. Antecedens evidens eſt, nec probatione indiget: ſiqui-

ſiquidem hydrops, angina, pleuriſis, & innumeri penè morbi, qui naturam humanam vexant, & impugnant, eodem omninò modo, iiſdem affectionibus, effectibus, doloribus, circumſtantiis invadunt hìc nos, ſicut in qualibet mundi parte cæteros homines; Nam febris v. g. vel quotidiè, vel de tertio in tertium, vel de quarto in quartum, vel &c. invadit hìc Bergomi, ſicut Romæ, ſicut Pariſiis, ſicut ubique locorum. probatur conſequentia: Si enim hæc regio, quæ ab aliis non differt in conſtitutione morborum, differre deberet in cura, & exhibitione remediorum, opus eſſet, quòd unaquæque regio haberet ſuum Hippocratem, ſicut habet propria ſtatuta, & municipales leges: Nam diverſum clima, in hypotheſi, diverſa medicamentorum genera exigens, novo Hippocrate indigeret juxtà climatis illius normam. Hinc pro ſola Græcia Hippocrates, pro Aſia Galenus, pro Anglia Thomas Vvillis, pro Germania Michael Etmullerus, pro Gallia Joannes Fernelius, Hieronymus

Car-

Cardanus pro Insubria &c. posset inservire. Et sicut inter Cattholicos prohibentur sub gravissimis censuris libri Hæreticorum, quia veræ fidei corruptores; Ità in illo climate prohibendi essent Authores omnes medicinæ non nationales, quià eorum vel universalia, vel particularia documenta præcisæ necessitati illius climatis contraria essent, & Perniciosa. Et consequentèr hìc non esset, ars medica, quia edisci non posset ab Authoribus antiquis, aut modernis (& fortasse melius vita degeretur absque medicis, iis præcipuè, qui sibi magis prodesse studeat, quam ægrotis) Imò & quilibet medicus esset suspectus, utpotè doctrinis extraneis, & alieni climatis imbutus : Nec doctorali laurea insigniri posset, nisi cum doctrinis, & aphorismis Hippocratis, Galeni, & aliorum remotissimi climatis. Ut quid ergò Pisis, Parmæ, Bononiæ, Patavii, & alibi resonant Cathedræ doctrinis Galenicis, oraculis sapientissimi Senis, si alietas climatum aliam postulat medendi rationem? Sileant Cathedræ, recedant

cedant medici, exulent ſeverioribus pœnis rabarbarum, agaricum, aloe, gummæ, aromata, & hærbæ omnes, quæ pro infirmorum auxilio ab Indiis uſque hùc aſportantur: Hæc enim omnia in remotiſſimo climate producta noſtro natali ſolo conſentanea non ſunt.

Quam inepta, quam fatua ſit hæc climatum opinio, & diſtinctio pro phlebotomia fovenda nemo eſt, qui non videat. Quidquid ſit de moribus, de legibus. Hoc certum eſt, quòd omnes homines ubiq; terrarum eodem modo concipiuntur, organizantur naſcuntur: omnes ſanguine conſtant, ſanguine creſcunt, ſanguine vivunt; Ita quòd ſanguis in quolibet homine eſt totum hominis temperamentum: Nec antipodes nobis in climate ſunt in eſſe phyſico abſimiles nobis. Ergò rationes, experientiæ, doctrinæ, authoritates, quæ contrà phlebotomiam militant, pro omni climate concludunt.

Clima, ut Geographi docent, eſt ſpatium in ſuperficie terræ correſpondens

 duo-

duobus paralellis, quo diei longitudo ad ſemihoram variatur: Ita ut clima non ſit aliud, quam certum ſpatium zonæ temperatæ, & habitabilis, inter cujus principium, & finem (procedendo à polo ad æquatorem, & è contrà) maximæ diei æſtivæ, vel noctis hibernæ quantitas per ſemihoram augetur, vel diminuitur. Si ergò aliquod clima phlebotomiam exigeret, maximè eſſet calidius, & æquatori proximius: (loquor tamen intra limites zonæ temperatæ, quæ ſcilicèt eſt inter paralellos circulos, tropicum, & polarem latitudinis 43. graduum; nam ſub zonis torrida, & algentibus Galenus ipſe *de ſectis ad eos, qui &c. cap.* 8. *extra ord. claſſ.*apertè phlebotomiam condemnat) Sicuti eſt v. g. reſpectu noſtri Campania, quæ eſt in ſphæra minus obliqua, & per octo circitèr gradus ad tropicum, conſequentèr ad æquatorem magis accedit; Ita quòd longior ęſtiva dies, & longior hyberna nox per horam, & minuta ibi decreſcit reſpectu noſtri climatis frigidioris. Inſuper vinis utuntur circà Metro-

opolim præcipuè germinantibus, vulò *lagrima* nitro, & ſulphure plenis, in nguinea maſſa calorem, & phlogoſim e facili excitantibus. Et tamen ibi, Jeapoli potiſſimum, non eſt in praxi hlebotomia: Et celeberrimi illi proeſſores vel nunquam, vel rariſſimè, & t ita dicam, per miraculum ægrotis anguinem mittunt. Ergò multò minus regularitèr loquendo) in noſtro clinate, quod ſecundum gradus eſt mius temperatum, utpote magis vergens d polarem circulum, ſanguis mittenlus eſt. Concludo ergò ſic. Quòd ſub liquo clymate, puta torrido, & algenti aldè periculoſa ſit phlebotomia, & mninò evitanda ex citato Galeno; ſiuti etiam tempore nimis frigido, vel eſtuoſo, ut docet Hippocrates de melicaminibus *in lib. aphor. ſect. 4. aph. 5. ſub cane, & ante canem difficiles ſunt nedicationes*. Et rationem reddit dicens. *Quia natura nimiis caloribus exæſtuans non patitur purgantis pharmaci acrimoniam*: (quod à fortiori de phlebotomia verificatur) hoc utique

P 2 con-

concedo. Quòd ſub alio clymate, puta temperato, ſicut & in temperato tempore, phlebotomia non ſit adeò periculoſa: (cæteris paribus) Et hoc pariter verum eſt. Sed quòd detur aliquod clyma in univerſo mundo, quod pro curandis morbis, & recuperanda, vel tuenda ſanitate, phlebotomiam exigat; & ſub quo ſanguinis miſſio utilis ſit, & non damnoſa; (niſi fortè tale clyma foret in ſpatiis imaginariis, per quæ phantaſia quandoq; diſcurrit) omninò falſum eſt; Nec video, quomodò probari, & ſuſtineri poſſit.

Adducere quis poſſet, in phlebotomiæ clientelam, uſum, praxim, conſuetudinem, quæ in hiſce regionibus viguit, & videtur quodammodo tranſiiſſe in legem.

Reſpondeo: Conſuetudinem hanc phlebotomandi viguiſſe forſan apud quoſdam Methodicos, vel Empyricos, qui Galeniſtarum nomen jactitant, cum nulli minus ſtudeant, quam Galeno: vel ſi ſtudent, nulli minus obediunt. Non autem viguit nec viget hæc conſuetu-

do

lo apud Medicos verè rationales. Sed nſtantiæ huic alia non debetur reſponio, quam ſententia illa Platonis pluies à Seneca replicata, præcipuè *lib.de vit. beat. c. 1. Ratio ducit homines, conſuetudo belluas: homo enim it quo eundum eſt, bellua verò quò itur.*

CAPVT DUODECIMVM, ET ULTIMUM.

Phlebotomia quantum fieri poteſt evitanda. Parœneſis.

NUnquam fuit, nec eſt intentio mea, profeſſorem aliquem in hoc opuſculo carpere, aut laceſſere: Omnes veneror, ut decet, ſicut omnes ſuppono verè rationales. Quæcunque dixi, & in hoc ultimo capite dicturus ſum, ex puro zelo chriſtianæ charitatis, & ſalutis proximi dicta eſſe volo; Nec aliud intendo, quam quod detur rationi, & veritati locus; Et admoneantur laureandi, vel noviter laureati in arte me-

dica, ne proruant in veterum errorem, desponsando sibi insolubili amplexu amicam phlebotomiam.

In communi sensu moralium Theologorum tenetur Minister in administrandis Sacramentis, judex in ferendis sententiis, Medicus in curandis ægrotis sequi opinionem probabiliorem. Et patet in damnatis propositionibus ab Innocentio XI. *propos.* 1. *&* 2. Admoneo igitur professores, & enixè precor, ut propriæ salutis memores sint, ne inconsideratè venam infirmis secando, animam suam læthali vulnere saucient. Reflectant primò, venæ sectionem semper naturæ nocere: valdè improbabile, contrà morbum juvare: Et operationem esse periculis plenam, ut rationes evincunt. Reflectant secundò, quod negotium maximum habent præ manibus: post animam agitur hìc de summa rerum, de vita, inquam, de corio hominis, non de bracteola, camisia, aut tunica; Et hoc persuasum habeant (verissimum enim est, ut patet in capite 10.) quod sanguis, nedum infirmi, sed

etiam

etiam ſani corporis, quandoque in tali conſtitutione, in tali ſyſtemate reperitur (& quisnam Æſculapius hoc cognoſcit?) quod interrupta per phlebotomiam ejuſdem textura, & ſoluta compage, irreparabilitèr mori oportet. Quæſo igitur per viſcera miſericordiæ Dei noſtri non effundatur præcipitata ab uſu ſententia ſanguis corporum, quorum animas pretioſiſſimi ſui ſanguinis effuſione Salvator redemit. Non deſunt remedia, & meliora, & mitiora, & periculi expertia: Sed abſtineant à ſanguine, quouſquè non habeant illum mittendi, & veram, & benè perſpectam neceſſitatem. (ſi tamen hujus caſus neceſſitatis dabilis eſt &c.) Utantur phlebotomia, veluti uno ex extremis remediis, de quibus loquitur Hippocrates *in lib. aphor. ſect. 8. aph. 6. Quoſcunq; morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat: quos ferrum non ſanat, ignis ſanat: quos verò ignis non ſanat hos ſanari non poſſe putato.* Sic phlebotomia, aliàs pernicioſa, optimum evadet remedium, ut idem Hippocrates effatur *in lib.*

aphor. ſect. 1. *aph.* 6. *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.* Quod evenire poteſt v.g. vel in angina ſuffocativa ob difficultatem reſpirationis: Vel in pleuriſi duplici aſcendente dolore ad claviculam vel aliis acutiſſimis doloribus, ob periculum ſpaſmatis. Tunc ad evitandum (ſi fieri poteſt) majus malum, ſcilicet mortem, quæ ex convulſione, vel intercepta reſpiratione mox, vel brevi ſequutura eſt, hoc etiam minus malum, nempè ſanguinis miſſio, tamquam extremum remedium (licèt omninò incerti, nec ſperandi effectus) admittatur. Hoc dico ob ſatiſfaciendam potiùs vulgi ſimplicitatem, qui credit interdum hac via evadere poſſe. Cæterùm ſcias etiam in his caſibus occurri poſſe, & melius ſpecificis ſuis abſque ſanguinis miſſione. Reflectant tertiò ad illum canonem in tabulis cordis unicuique inſculptum. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Et ſi medicus quacunq; infirmitate correptus vel abſolutè, non ſinit, vel ſaltem non tam largè ſibi ſanguinem mitti

(quod

(quod omnes quidem norunt, ſed non conſiderant) animadvertat, non eſſe juxtà hoc primùm naturæ principium, tam facilè aliis emittere. Quod medicus ægrotus ſibi non vult fieri, alteri ne faciat: Et diſcat ex ſeipſo legem charitatis ergà proximum ſuum, dictante Spiritu Sancto *Eccli.* 18. 31. *Intellige, quæ ſunt proximi tui ex teipſo*. Si pro Chriſto, pro confeſſione fidei opus eſſet, ſanguinem effundere debemus, & Divina afflante Gratia, alacritèr effunderemus: Effuſio hæc verè ſalutaris eſſet, quia ſalutem æternam operaretur in nobis, quia martirii palmam germinaret, quia nos in Cæleſtibus Regnis purpuratos coronaret in reges. At pro aſſequenda ſalute corporis, ſanguinem extrahere (regularitèr loquendo) error eſt; Cum ſit potiùs ejuſdem ſaluti adverſari, & infirmitates accerſere: Medicus enim debet certis remediis adverſari morbo, non ſanguine, & ſpiritu expoliare naturam.

Galenus differens de humoribus, qui dignoſcuntur prædominari ex colore,

&

& quià crudi adhùc manent, infirmitates inducunt, ait *lib.* 4. *de ſanitate tuenda cap.*4. *Nam quoniam alii, priuſquam ad exactum ſanguinem nutrimentum pervenit, veluti ſemicocti ſunt, alii prorsùs incocti, crudique, alii paulò abſunt à ſanguinis forma, rursùs alii ſanguinis faciendi, ſivè, ut ità dicam, ſanguificationis veluti ultima pars, qui utiq; exceſſu caloris proveniunt (quorum alii paululum, alii plus, alii plurimum à ſanguine receſſerunt) ubi paululum vel citrà ſanguinem reſtitutum, vel ultrà proceſſum eſt, audacter mittendus ſanguis eſt: ubi plus, conſideratiùs agendum: ubi plurimum, in his nullus omninò mittendus eſt. Inſpicere verò & quantitatem conveniet, ut v.g. ſi bonus ſanguis exiguus ſit, reliquus verò ſuccus plurimus: utiq; in his abſtinendum à detractione ſanguinis eſt. Sin is quidem exiguus, ſanguis verò copioſus, audacter incidenda vena eſt. Dein deijcere (ut dictum eſt) alvum oportet, ratione habita de abundantis ſucci copia pariter, & ſpecie. Quod ſi quis vel propter*

ter ætatem, vel timiditatem permittere ſe medico ad ſanguinem ullo modo detrahendum nolit, huic dejicienda largius alvus eſt: aut ſi id quoquè ſuſpectum habet, alia ratione educendum ſupervacuum eſt. Ac in propoſita nobis hactenùs natura alias vacuandi rationes invenire difficile non eſt &c. Et paulò infrà. Non ſuſtinente autem homine ſanguinem ſibi detrahi augere dejectionem: Si verò neutrum admittat, aliam quampiam rationem iniri &c. Hæc autem alia ratio ineunda curationis, ut ibidem inferius tangit, & alibi docet, ſunt unctiones, frictiones, balnea &c. & potiſſimùm quies. Interim ſuprà poſitam authoritatem reflecto, & ſic mecum diſcurro. Si ipſemet ſanguinarius, & ſanguinariorum ductor Galenus, ubi etiam abſolutè profert ſententiam ſanguinis, & dicit, audactèr eſſe detrahendum, non tamen hoc judicat neceſſarium: Quis unquam tam audax Galeni aſſecla neceſſarium prædicabit, & ut tale practicabit? Si ipſe Galenus libito infirmi ſe conformat; Ità quod ipſo phle-

phlebotomiam renuente, vult alitèr curari, ſcilicèt per largiorem alvi dejectionem; Et hanc etiam ægro recuſante, aliam præcipit iniri curandi rationem, ſcilicèt per remedia externa: Quis unquam Galeni aſſecla etiam nolentem, etiam repugnantem ægrum phlebotomare præſumat? Si per phlebotomiam ſemper damnificatur natura, ſæpè inducuntur infirmitates, paſſim demitur de vita, interdum vita ipſa eripitur; Et è contra vice ſanguinis præſcribit Galenus alia remedia æquè valida, faciliora, tutiora, jucundiora: & ab omni periculo aliena: Quis unquam Galeni aſſecla ſanæ mentis, & rectæ voluntatis ad phlebotomiam curret, & recurret? Hoccine eſſet ſectari etiam ſanguinarium Galenum? Hoccine eſſet ſequi opinionem probabiliorem? Hoccine eſſet exequi boni medici officium, quod eſt (ut Aſclepiades ajebat) curare citò, tutò, & jucundè? Oh ſeculum in quanta cæcitate, in quanta caligine verſabaris. Oh medicos! Oh homines, ſed veriùs dicam:

cam: non ſumus homines: pecora ſumus, ſi clauſis rationi oculis *pecorū ritu ſequimur antecedentium gregem pergentes* (deploro cum Seneca *lib. de vita beata cap.* 1. eorum miſeriam) *non quo eundum eſt, ſed quo itur*. Quam benè quod deteſtatur Stoicus in moribus conſonat propoſito meo in phyſicis! *Nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Verſat nos, & præcipitat traditus per manus error alieniſque perimus exemplis.* Ità eſt in propoſito. Uſum phlebotomiæ prædeceſſores noſtri intuebantur. Et vulgi ignaviam, & medicorum methodum ſtolidè ſequentes ibant quò itur, & ſanguinem prodigè effundebant, quia pretium ejus ignorabant. Ediſcamus nos alienis ſumptibus, & capiat unuſquiſq; punctum hoc veritatis; ne ſui ſanguinis impenſis, & propriæ vitę ſtipendio, (ſed ſine fructu, & remedio) aliquandò capiat. Quo ad me, clamarem abſolu-

tè

tè cum Propheta *Psalm.* 138. 19. *Viri ſanguinum declinate à me.*

In hoc libello pluries authoritate Hippocratis, & Galeni, necnon & aliorum Antiquorum uſus ſum: Duo tamen hìc neceſſariò ſunt advertenda.

Primum eſt, quòd Hippocrates, & Galenus diverſimodè loquuntur, & ſibi quandoque contradicunt; Nec mirum videri debet: Nam Eraſiſtratus accerrimus Hippocratis defenſor Galeno, & Diſcipulis ejus, qui phlebotomia nimis abutebantur, fortitèr ſe oppoſuit; Ità quod vi rationis, & experientiæ ſuæ, & Hippocratis, infirmi omnes, qui à Galeno, & Diſcipulis ejus curabantur, phlebotomiam abſolutè recuſarunt dicentes, Eraſiſtratum cum ſuis febres omnes optimè curare abſque phlebotomia, ac ſub ejus cura paucos mori, & convaleſcentes citiùs ſanitati reſtitui: E contrà verò ſub cura Galeni, & ſuorum multò plures mori, & evadentes ægrè ſanari. Galenus ſeſe corripuit, & emendatus prioribus contraria ſcripſit. Ex Diſcipulis ejus pauci emendati ſunt,

&

& pro majori parte consuetam phlebotomiam prosequi voluerunt, ne errasse viderentur. Cum autem primi Galeni libri apud istos, novissimi verò apud illos remansissent, postea in diversas sectas divisi sunt. Ecce quomodò apparet Galenus sibi contradictorius; præterquam quod in ejus libris à traductoribus, & expositoribus plura inserta, & variata sunt. Quò ad Hippocratem: Quisquis ostendit, ipsum in febribus sanguinis missionem ordinasse, ostendit libros non Hippocratis, sed priorum Galenistarum pro corroboranda sub tanti Viri nomine amica phlebotomia.

Secundum est, quòd sanguinis circulatio antiquis, & minùs antiquis medicis fuit incognita. Credebant sanguinem, velut aquam in fossis, in vasorum diramatione stagnare, & continere fæces, quæ nonnisi cum sanguine ipso extrahi possent; Undè phlebotomiæ utilitatem, vel necessitatem arguebant. Sed moderna accuratior anathome, quæ in mirabili corporis structura ad

no-

novas ſemper, & magis diſtinctas cognitiones aſcendit, jam ſole clariùs demonſtrat circularem ſanguinis motum quo ex venis in arterias, ex iſtis in illas inceſſantèr effunditur: Et tali agitatione, quolibet momento ſubtilizzatur, attenuatur, defæcatur, hinc, & indè in receptaculis ſuis ſegregata deponens &c. Videatur caput 1. punctum 2.

Hinc conſequentèr tollitur omnis evaſio, ruit omne ædificium prætenſæ phlebotomiæ: Et ſolum remanet, quod ſobrietate, propria victus ratione, & ſuis ſpecificis ſanguinea maſſa expurgetur. Undè non eſt valdè curandum de dictis, vel praxi Antiquorum; nec Galeni, vel Hippocratis authoritas debet urgere nos in materia ſanguinis. Sanguipetæ tamen anteceſſores noſtri cognito etiam veterum errore ſententiã mutare noluerunt, & voluerunt phlebotomare, quia hæc erat eorum curandi ratio, hic error, & uſus, & abuſus per manus traditus: Ità immobilitèr fixi fuerunt annonæ, quam ipſis præparavit ab initio Galenus, quod nihil ultrà

quæ-

quærere, vel ediſcere curabant. Certum eſt, quod ars medica (quamvis ſit ars conjecturalis) ſicut & aliæ artes pedetentim beneficio temporis ingenij, anathomes, experimenti plurimum illuſtrata eſt, & perfecta, & nacta veritates, quæ veteres latuere. Hoc tamen nihil proderat profeſſoribus illis, qui aliquot aphoriſmis pro ſubeundo examine, pro laurea conſequenda memoritèr apprehenſis, nihil aliud deinceps de vera medendi methodo ſatagebant invenire. Et quod magis deplorandum: mucidis illis antiquitatibus veluti pulpò cauti ſic tenacitèr adhæſerunt, ut veritates ab ingenioſis ſtudio, & labore comparatas nedum amplecti renuerent, ſed nollent eſſe veritates. Mirum ſane, & imperceptibile! Diſcrepare in principiis, & ab errore antiquorum admittere perennem, & circularem ſanguinis motum, quem illi ignorabant, nec admittebant; & concordare cum illis in concluſione, in abuſu phlebotomiæ! Certe ſi Anteriores noſtri rectè phyloſophati fuiſſent, vel

Q ne-

negassent cum Antiquis motum in sanguine, vel abnegassent phlebotomiam.

Claudo ergò tractatum, & concludo syllogismo, totam rei summam complectente. Bonus medicus ad hæc duo principalitèr collimare debet ad auferendam causam morbi, ad conservandas vires naturæ. Hi sunt poli, hi cardines, in quibus volvitur, & versatur Ars medica. Atqui medicus per phlebotomiam neutrum obtinet. Ergò &c. Major patet, & quià nonnisi remota causa, removetur, effectus; & quià natura viribus suis, vel solis, vel medicamento proprio conjunctis, potest devincere morbum, & sanari: E contrà absque naturæ viribus, & cum omnibus simul pharmacis, & pharmacopolis, & medicis, & chirurgis nihil penitus effici potest, & idem est ac thus defunctis adolere. Probatur minor; phlebotomia utrique opponitur: Ergò medicus per eam neutrum obtinet. Probatur antecedens: Primo opponitur negativè, non enim causam morbi aufert; pro quo videatur caput decimum, & alibi

alibi. (nisi velimus dicere, quòd inferendo mortem, & dissoluendo compositum tollit causam omnis morbi) Secundo opponitur positivè nam phlebotomia ex professo, directè, diametralitèr, & inevitabilitèr spiritum, & vires furatur, & subtrahit, ac naturam enervat. (nec parvipendas virium amissionem, nam unici gradus defectu in die decretorio quandoque natura succumbet, quæ cum illo viribus morbi prævaluisset) Hinc infero ulteriùs, quod phlebotomia, nedum causam morbi non tollit, sed vires subtrahendo, causam morbi ex necessario consequenti magis adauget. Nec quisquam putet tergiversando, vim argumenti evadere, nam quidquid obiici potest satis, superque solutum manet ex supradictis, ut benè percipienti, & rectè discurrenti manifestum est.

Obsigno & caput, & opus verbis doctissimi Etmulleri clamantis, & docentis *Classe prima tom.* 1. *pag.* 225. *Si aliis modis ægro, vel sine periculo, vel æquæ commodè succurrere poterimus, sangui-*

ni parcatur. Nimis pretiosus est succus iste sanguineus, nimis necessarius ad hominis esse ad benè esse, ad vivere, ad operari. Ergò sanguini parcatur. *Quo ad phlebotomiam, vitetur, quantum possibile est, licentiosa venarum apertio, & non nisi urgente admodum indicatione: semperque consideretur thesaurus vitæ in sanguine reconditus.* Ità idem Etmullerus *de ven. sect. tom.* 1. *class.* 1. Mactandis pecoribus sanguis extrahitur, ut moriantur, non vero hominibus, ut vivant, & convalescant.

Quæret fortasse aliquis, quid sentiam de extractione sanguinis per hirudines, & cucurbitulas?

Hoc est extrà scopum, quem mihi præfixi, & titulum, quem libello præposui: Quarè respondere non teneor. Te tamen monitum volo benigne Lector, quod omnes isti modi extrahendi sanguinem ab humano corpore inventi fuerunt ab Antiquis, sanguinis circulationem ignorantibus. Reflecte ergò ad superius dicta in hoc capite, & ex iis ingenio tuo conclude. Dico solùm,

lùm, fabellam esse, quam prædicant, scilicet sanguinem crassum à podice per hirudines extrahi: Hallucinantur, & errant credentes esse in tali situ sanguinem crassum, & diversæ rationis ab alio. Et ratio est, quià sanguis continuè circulat è venis in arterias, & ex istis in illas; Et sicut delatus per arterias in qualibet corporis parte, ità redux per venas ubilibet æqualis est. Imò applicatæ hirudines juxtà podicem, & extrà venas, exugunt sanguinem arteriosum, coctum, destinatum ad illam partem nutriendam, ac proindè meliorem contento in venis. Non nego esse aliquale discrimen inter sanguinem è vena secta, & sanguinem cucurbitulis, vel hirudinibus extractum, propter anastomoses venarum cum arteriis. Sed quod sanguis ipse à podice extractus crassior sit, & diversus à reliquo circulante, hoc fictitium est, & merus prætextus applicandi hirudines pro libito. Et hoc sufficiat, quia saltamus extrà chorum. Respondeo directè, & quæro solum à quærente. An quod per hirudines,

dines, vel cucurbitulas extrahitur sanguis sit, necnè? Si sanguis est, quid amplius quæris? Quid inferre debeas optimè nosse potes ex iis, quæ de phlebotomia strictè sumpta hucusquè.

D I X I.

Vale amice Lector: Et benè valebis, si cum salubri, & prudenti victus ratione vitæ fontem, SANGUINEM SERVABIS.

F I N I S.



De mandato Reverendiss. Patris Magistri Sanctæ Inquisitionis Generalis Mediol. utsuprà, Opus, cui Titulus PHLEBOTOMIA EXAMINATA Francisci Antonii Piazzoni, *sedula mentis attentione perlegi, ac maiori animi voluptate, cumq; in ea nihil ab ortodoxa fide, moribusq; absonum repererim, publico aspectu dignum censeo. Dat. hac die* 28. *Augusti* 1718.
D. Caietanus Fagnanus Monacus Cassinensis Revisor.

Pridie I. dies Septembris MDCCXVIII Stante præmissà attestatione.

IMPRIMATUR
F. Joseph Maria Felix Ferrarini Ord. Prædic. Sacr. Theolog. Magister, ac Commiss. Sancti Officii Mediol.

Carolus Franciscus Curionus pro Emminentiss. D. D. Card. Odeschalcho Archiep.

F. Cesatus pro Excellentiss. Senatu.